

Conti, Ludovico

Clara fidelisque admonitoria disceptatio practicae manualis experimento
veraciter comprobata de duobus artis et naturae miraculis

Francofurtum 1664

Alch. 68

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10252709-2

Copyright

Das Copyright für alle Webdokumente, insbesondere für Bilder, liegt bei der Bayerischen Staatsbibliothek. Eine Folgeverwertung von Webdokumenten ist nur mit Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek bzw. des Autors möglich. Externe Links auf die Angebote sind ausdrücklich erwünscht. Eine unautorisierte Übernahme ganzer Seiten oder ganzer Beiträge oder Beitragsteile ist dagegen nicht zulässig. Für nicht-kommerzielle Ausbildungszwecke können einzelne Materialien kopiert werden, solange eindeutig die Urheberschaft der Autoren bzw. der Bayerischen Staatsbibliothek kenntlich gemacht wird.

Eine Verwertung von urheberrechtlich geschützten Beiträgen und Abbildungen der auf den Servern der Bayerischen Staatsbibliothek befindlichen Daten, insbesondere durch Vervielfältigung oder Verbreitung, ist ohne vorherige schriftliche Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig und strafbar, soweit sich aus dem Urheberrechtsgesetz nichts anderes ergibt. Insbesondere ist eine Einspeicherung oder Verarbeitung in Datensystemen ohne Zustimmung der Bayerischen Staatsbibliothek unzulässig.

The Bayerische Staatsbibliothek (BSB) owns the copyright for all web documents, in particular for all images. Any further use of the web documents is subject to the approval of the Bayerische Staatsbibliothek and/or the author. External links to the offer of the BSB are expressly welcome. However, it is illegal to copy whole pages or complete articles or parts of articles without prior authorisation. Some individual materials may be copied for non-commercial educational purposes, provided that the authorship of the author(s) or of the Bayerische Staatsbibliothek is indicated unambiguously.


Unless provided otherwise by the copyright law, it is illegal and may be prosecuted as a punishable offence to use copyrighted articles and representations of the data stored on the servers of the Bayerische Staatsbibliothek, in particular by copying or disseminating them, without the prior written approval of the Bayerische Staatsbibliothek. It is in particular illegal to store or process any data in data systems without the approval of the Bayerische Staatsbibliothek.

Alch.

68

Ale. 68.


Alehem R
Comitibus.



Aleph. 68.

Alehem R

Comitibus.



Ac. 68.

Alehem R

Comitibus.



A . M . D . G .

SYMBOLUM ADEPTORUM



FINIS PRINCIPII
EST
PRINCIPIUM FINIS.

10252709

10252709

Bayerische
Staatsbibliothek
München

CLARA FIDELIS QVE
ADMONITORIA
DISCEPTATIO
PRACTICÆ MANVALIS
experimento veraciter
comprobata.

*De duobus Artis, & Naturæ
miraculis:*

Hoc est

DE LIQUORE ALCHAEST;
nec non Lapis Philosophico, atque
amborum materia, operandi ratione, Diffi-
culty, Viribus, ac inter se Convenientia, &
Discrimine, De Sale quoque Tartari
Volatili, &c.

*In gratiam Hermetice Artis Studioso-
rum conscripta.*

A U C T O R E

LUDOVICO DE COMITIBUS.

Macer. Phil. & Med. D. Ope Viri peri-
tissimi Ord. trium Magorum Equitis in
Viridi Cruce Symbolica.

FRANCOFVRTI,
Apud Hermannum à Sande.

M. DC. LXIV.

Auctor ad Sophochymicos.

Abita natura quisquis pertingere curat,
Perlegat, & vivū præparet artis avem.

Tunc ne prætereat fugientis signa volucris
Prænitidi, & Viridis servet ubique modum.

Excutiat repetens territe quaterque laborem,
Donec ab impuro candidus hoste volet,

Horat transacta carum igni adjungat amicum
Ignis, ut hinc fiat calica fontis aqua.

Sic superans auget solares Cinthia vires:
Indè repurgatus solque resurgit aquis.

Crescit in immensum miranda potentia Fatus
Rursum, ut ante, brevi si peragatur opus.

Semine solari super additur aurea tandem
Virtus, atque hic est totus in Arte labor.

SE-

10252709
OS(0)00
SERENISSIMO, AC REVERENDISSIMO D.D.

DS. LEOPOLDO GVILL
HTM. ELMO.
em. ARCHIDUCI AUSTRIÆ.

Duci Burgundie, Stiriae, Carinthiae, Carniolae, Virtembergæ, Generali Militia Hierosolimitanae. Ordinis Beatæ Mariae Virginis Teutonicorum in Prussia Administrator; ac ejusdem per Germaniam, & Italiam, partesque transmarinas Magno Magistro. EPISCOPO Argentinensi, Halberstadiensi, Passaviensi, Olomucensi, & Vratislaviensi. Abbatiarum principali Herfeldensis, Marbacensis, & Ludecensis Administratori. Comiti Tyrolis, & Goritiæ. Langravio Alsacie, & Gubernatori Generali Burghundicarum Provinciarum &c. Dominos suo Clementissimo.



RINCIPIBUS Viris
suos dicandi studiorū
labores , jam multis
ab hinc seculis non
improbanda scriben-
tiū extat cōsuetudo,
ut sic illis suæ venerationis , ac obser-
vantiae specimen exhibeant , & operi-
bus decus, atque splendorem ex Prin-
cipum nobilitatis luce concilient, sibi-
que defensionem , si qua opus fuerit,
contra imperitorum ac invidorum
improbitatem parent. Eòque mos
hic laudabilior , ac imitatione dignior
censeri meretur, quò major habita ra-
tio fuerit Viri, cui exhibetur, virtutis
ac majeſtatis , & muneris oblati præ-
ſtantiae : ut hinc gratius amplectatur,
vultuque hiliori excipiarur oblatio:
illinc scripto tutela paretur potentior,
lumenque fulgentius accedat. Quæ
omnia

omnia mihi benè consulta fuisse , ne-
 mo non fateri cogetur , cum meum
 hunc libellum mole quidem exigu-
 um , at rerum , quas promit æstimatio-
 ne prægrandem Amplissimæ Sapien-
 tiæ tuæ committere , tuo nomine insi-
 gnire , excelsa nobilitate exornare de-
 creverim , tuoque patrocinio fultum
 per doctorum Virorum manus diva-
 gati permiserim . **Quis** namque po-
 terat occurrere , cui non dicam magis ,
 sed æquè ac Tibi sint hæc simul omnia
 collata felicius ? Neque h̄ic Austriaci
 generis tui splendorem , ac radiantem
 nobilitatem scripto perstringere au-
 sim . Sat mihi fore arbitror si Te Glo-
 riosissimorum sanctæ record. Impera-
 torum Ferdinandi Secundi Filium ,
 nec non Ferdinandi Tertii Fratrē dixe-
 rim , cui Nepos Cæsar est **LEOPOL-**
DUS presentis Æui jubar fulgidissimū
 nobis divinitus concessum , qui Majo-

(o'so)

rum suorum inclytis virtutibus non
minus , quam dignitatibus coronatus
felicissimum diuturnioris Imperii ar-
gumentum exhibet:atque sicut Orbis
Christiani votis solamen , ac firma-
mentum ardenter expetitum,& expe-
ctatum : ita Christiani Nominis hosti-
bus sidus invisum , ac formidolosum
terrificulamentum. Eximia vero in-
comparabilis Animi Tui ornamenta
Serenissime Princeps , neminem nisi
temerè scripto comprehendere ausu-
rum putaverim , cum ex calami levita-
te non sat graviter , ex paginarum fra-
gilitate firmiter , ex attramenti obscu-
ritate dilucidè tractari, nec pro rei ve-
ritate , ac merito vel disertissimo cu-
vis verbis enarrari valerent. Quid
enim de tua incomparabili in Deum
pietate,in cunctis peragendis pruden-
tia,fortitudine,temperantia,ac in pri-
mis regali justitia , quid de magnani-
mitate

mitate, quid de liberalitate, morumque suavitate tua verissimè etiam scribenti crederetur? Scientias tum speculativas, tum practicas, quibus inge-
nio etiam præclarioribus antecellis,
non vulgares, admirandamque Sapi-
entiam non humanam; at divinam
quotquot te noscunt, fatentur omnes:
universa cuncta sapis, ac intelligis.
Cum vero inter cætera studiorum
genera (si per graviorum curarum
otia liceat) Chymicorum miraculo-
rum indagine præsertim oblecteris,
non abs re mihi peractum esse duxi, si
quæ in arte tam excelsa experimento
cognoverim Tuæ Sapientiæ proban-
da obtulissem, ut sic Tanti Viri testi-
monio firmata alacrius in Hominum
Peritorum animos irreperent, ac plau-
sibilius exciperentur, quamvis vereri
de re hac haud rationabile videatur,
quis enim nisi stolidus, vel inscius non

•os(0)•

amplectatur , quod sibi proficuum ac
jucundum futurum speret? quod duo-
rum profectò nomine cognoscet,
quorum amore penè mortales cuncti
teneri solent , fortunarum copia , &
corporis incolmitate , in quibus
mundana felicitas consistere judica-
tur.

Permitte igitur Serenissime Prin-
ceps Imperiali Tuo Stemmate signa-
ri , secundis Tuis auspiciis præmuni-
tum prodite hunc Sophiae occultioris
fœtum, quem si Tibi non injucundum
advenisse scivero, nil ultra, quod meis
votis petere possim, habebo. Vale

*Serenissima, & Imperialis Celsitudi-
nis Tua*

Addictissimus

Ludovicus de Comitibus.

INDEX DISCEPTA- TIONUM.

Quæ in hoc Opere conti-
nentur.

Prefatio ab Lectores Candidos.

De Nomine Alchæst : & ejus Præstantia.

Disc. 1. pag. 1.

De Materia liquoris Alchæst. Disc. 2. 7

*De utriusque Magisterii materia simplicitate, ac virtu-
te. Disc. 3.* 11

*De operatione, qua liquor Alchæst perficitur. Disc.
4.* 16

De operatione lapidis Philosophorum. Disc. 5. 26

*De Salis Tartari, ac similium Alchalium volatilitate,
& ad id necessaria operatione. Disc. 6.* 38

*In quo consistat difficultas Inventionis Liquoris Al-
chæst. Disc. 7.* 45

De difficultate operationis physicochemica. Disc. 8. 52

*In quo sit posita difficultas volatilitatis Salis Alchali
præsertim ex Tartaro. Disc. 9.* 66

De virtutibus, & proprietatibus Alchæst. Disc. 10. 72

De Virtutibus Lapidis. Disc. 11. 82

De Salis Tartari Virtutibus. D. 12. 87

De simi-

10252709
• 06(0)90

*De similitudine, & convenientia liquoris Alchaeſt cum
Mercurio Philosophorum, & quid ſit in primam mi-
teriam duci. Disc. 13.* 92

*De liquoris Alchaeſt, & Mercurii Philosophici diſcri-
mme. Disc. 14. & ultima. 103*

PRÆ-

P R A E F A T I O

Ad Lectores Candidos.

PRUDIERE dudum in lucem, studio-
si Lectores, scripta Nobilis Belga
Ioannis Baptista Van Helmont Viri mo-
ribus, ingenio, eloquentia, omnique do-
ctrinarum genere praestantis summèque
laudandi, qui in physicis potissimum,
Medicis, atque Chymicis disciplinis no-
vam, inauditam, mirandamque doctri-
nam professus, antiqua scholarum funda-
menta quatere, ac veterum Magistro-
rum recepta dogmata evertere nixus
est: quin immò easdem scholas Magistros-
que stupiditatis, inscitiae, ostentationis,
aliorumque criminum reos facere non
est veritus. Quamobrem multorum
indignationem incurrit; corumque po-
tissimè, qui supraceteros antecellere vi-
deri ambiunt: Cum tamen in iisdem,
quas exercent, facultatibus, penitiores
veritates

veritates scrutari non current: eorum vero, qui avaritia, ignavia, imperitia, vel alio nefario affectu præpediti, ejus arcana assequi desperarunt, non indignationem solum, sed calumniosa maledicta, & immeritas vituperationes perpessus est: Ad hæc ipsum criminis ostentationis, jactantiae, maledictionis, falsitatis plectre non erubescunt, ejusdemque medicamina, ac mirabilem illum liquorem Alchæst., quo solo arcana Paracelsi, aliaque quam plurima miranda patrari sapissimè jactitat, mera figmenta esse, inanesque confictas fabulas, nec se talia præstitisse unquam; sed quod per imaginationem existimat pro ipsissimis veris experimentis conscripsisse; impossibile existimantes in Rerum Naturæ tale quid reperiri, quod ipsorum cognitio attingere non potuerit: se pluries, facto experimento vidisse, liquoris illius impossibilitatem.

Tantis
Viri

Viri sortem s^epius mecum ipse dolui,
 quamvis hoc vitio laborasse jam ab ini-
 tio Mundum sciverim, beneficia maiora,
 turpiori ingratitudine pensari : eoque
 magis dolor invaluerat, quod post illum
 neminem usque adhuc repertum scive-
 rim, qui Magisterium liquoris illius con-
 secutus, ejusdem veritatem, Scriptoris-
 que famam ab inquis contumeliis vin-
 dicasset. Tacendum mihi tamen satius
 duxi, quo ad experimento cognoscere pos-
 sem : Num ea, quae ab eo scripta sunt ar-
 cana, vera nec ne forent : licet de hoc
 dubitare propter multas rationes vide-
 retur non inhumanum solum, sed im-
 pium. Ad quid enim Orbi Christiano
 imponere in re tanti momenti ; unde
 nec utilitatis, aut honoris aliquid repor-
 tare posset, cum anima sua irreparabili
 forsitan detimento ? Quamobrem cum
 occultissimum illud Hermeticae Philoso-
 phiae opus omnium sanè difficilimum,

quod

quod lapidem Sapientum appellant, diù
 in abstrusissimis Auctorum tractatibus
 scrutari suetus, tandem Divina coope-
 ranter gratia, non propriotamen Marte,
 sed amicæ opis munificentia Viri Pra-
 stantissimi; cum omnibus suis requisitis
 circumstantiis viderim, ac tetigerim,
 etiam hujuscē liquoris operationem non
 mihi difficulter investigandam duxi.
 Paracelso itaque, aliisque Auctoribus,
 atque ipsimet Helmontio diù lucubra-
 tionibus non interruptis insistens, ve-
 xitatem etiam hanc, non mea, sed Ami-
 ci opera, cognitam habui, factoque
 periculo arcana predicta sum assecutus,
 licet ad opus illud laboriosissimum, lon-
 gum tempus expetitum fuerit, ipso pa-
 riter Helmontio arcanum satis innuen-
 ie, Paracelso vero, ni (more suo) nonni-
 hil ad illud necessariū reticuisset, mani-
 festissimè describente, ex quo Auctore,
 aliisque hoc idem insinuantibus, ipsum
 itidem

itidem Helmontium liquorem hunc non
absqueratione didicisse crediderim: cu-
jus liquoris occasione non solum de Sale
Tartari , similibusque Alchalibus in
volatilitatem ductis , quibus plurima
soluta ad medicinam parantur , & Al-
chaeſt vicem emulantur , narrationem
inſtitui : sed de ſublimi illo Hermetico
Magiſterio plurima revelare coactus
fum; ne hic erraretur , uti quibusdam ac-
cidiffe mihi relatum eſt , existimanti-
bus , liquorem illum ad Magiſterii ejus-
modi confectionem exigi , cum toto cælo
ab illo diſcrepet , licet in pluribus , at lo-
cationi ſtantum phraſi , convenire in vi-
cē videatur . Horum tamen arcano-
rum proceſſus clarè in Vulgus deſcriptos
efferre , palamque cunctis proſtituere ,
omnis ratio diſſuadet . quinno Vobis
veritatis amatoribus , medentibus pra-
ſertim , ingenuis , peritioribus , charitatis
zelo erga proximum affectis , id maxime
diſplici-


-38(0)30-

displicitarum fore sat scio ; si vulgo
promiscue , cunctis etiam ignaris pro-
stitueretar. Ad quid enim ingenia ve-
stra, studia , atque labores inseruirent
amplius : Si quis ex plebecula hæc
mysteria nullo negotio assequi potuisset?
Ad quid Ars vestra foret ultra ne-
cessaria ; si quisque suæ , suorumque
sanitati consulere tentans , nullametho-
do perperam illis abuteretur? Honor Vo-
bis jure debitus , nullus in posterum
foret. Non immerito igitur omnium
Scriptorum consensu hæc occultanda
esse decretum est: non ita tamen, ut in-
dagantes desperent ; immo & alia,
etiam majora liquoris hujus occasione
insinuare , quantum quidem justara-
tio dictabit, non recusabo, magni præser-
tim operis illius occultissimi , circa quod
hominum mentes plurimum hallucinari
quotidie cernimus. Cum enim Scri-
ptorum locutiones facilimè torqueri
possint

possint, & ad Alchaeſt confectionem ob maximam similitudinem transferri; cum tamen re ipsa longissimè ab illo diſtet, plerique fere omnes, alterum pro altero falſo interpretantur. Sicut & ipſi etiam Helmontio congitiffe ſuſpicioſi, existimanti, quæ de lapide ſcripta ſunt, de praedicto illo liquore ſuo intellicenda eſſe, atque hinc principium, originem, & baſim eſſe lapidis philoſophici: quod quidem liquidò colligere eſt ex pluribus locis ſuorum tractatum, ſed ſpecialiter, quod opus illud Sophiæ laborem appellet, & ipſum poſſidentes Adeptos, afferique Lullium Hidrargyron coagulasse, virtute liquoris eiusmodi, ut ipſe quidem credit. cum tamen Lullium nihil huiuscē liquoris reſciviffe crediderim. Quapropter valde proficuum futurum ſpero, ſi quid quantumque duo illa conveniant ac diſcrepent recenſeam,

nein

ne in posterum quis imperitus, minusque
practicæ huic studioque suetus, in erro-
rem labi facile queat. De hoc igitur
Hermetis miraculo, quamplurima sub-
scripturus sum, nec spernenda, nec tam
fideliter paginis abullo quod sciam huc
usque commissa: quamquam tractatio-
nem illam hic non profitear; cum alia
plurima illius ante hac nunquam reve-
lata, immò desperationis ferè titulo à pos-
sessoribus tradita in aliis tractarim vo-
luminibus, quarum catalogum in calce
hujus operis appositum intueri quisque
poterit. His ergo in præsentia fruimini
studiosi Lectores ingenui: dum interim
Deum enixè precor, ut mentem Vobis
aperiat, manusque dirigat in rectam se-
mitam, & ab erroneis ac sophisticis, Ido-
latriae multiplicatis operibus,
quam citius retrahere digne-
tur. Valete.



*De Nōmine Alchaeſt: & ejus
Prætantia.*

DISCEPTATIO
PRIMA.



VLLIBI reperi hoc nōmen Alchaeſt, coque ne-
mo (quod sciam) ex au-
toribus usus est ante Pa-
racelsum, qui semel tan-
tum lib. de viribus mem-
brorum cap. 6. de Viribus Hæpatis, de illo
meminit his verbis. Sed & liquor Alchaeſt
magnum Hæpatis confortandi, & conservandi,
adeoque ab hidropisi, & ejus omnibus generibus,
ab hæpatis vitiis ortis, præservandi vim, & effi-
caciā habet. Ejus processus est, ut à coagula-
tione resoluas, hæc ille, nec alibi e jusmodi vo-
cem protulit: tametsi eundem liquorem di-
versis sæpe vocibus indigitavit, inter quas
Hilech magnum, ac frequentius sal circula-
tus minor. An vero nomine Alchaeſt, hunc

A

cun-

eundem salem , ipse intelligere voluerit , quamvis Helmontio certissimum habeatur , penes me plurimum dubietatis habet ; cum ex prædictis ; & subsequentibus Paracelsi verbis comprehendine queat . Ipsius verba hæc sunt . *Et iterum coagulatur in formam transmutatam , sicut processus de coagulando , & resolvendo docet . Tunc enim si suum simile superavit , medicina sit hepatis medicinis omnibus superior . Et si quidem hæpar ipsum ruptum , & dissolutum esset ; loco tamen totius hæpatis est ; non secus , ac si in unquam raptum , & dissolutum fuisset . Quicumque ergo medicina operam datis , summo studio id adniti debetis , ut Alchæst præparare discatis , propter aver- fionem multorum morborum , qui ab hæpate ori-untur &c.* Nam cum ipse liquoris faculta- tes , ac modum præparationis ejusdē enarret , illam , quam principalius apponere debuif- set , ommitit , quod videlicet omnia , ut ait Helmontius , corpora in primam reducat materiam , seruata seminum potestate , sed afferit medicinam fieri pro hæpate , ac ipsi- us ægritudinibus , quam virtutem liquori suo non ascribit , sed bene pharmaco , quod

ex illo paratur, quod tamen necessarium fu-
 isset addere, coque magis quod locus
 idem ab ipsomet citatus sit : Præterea
 processus aliis etiam arcanis communis esse
 cognoscitur, ac præsertim philosophorum
 Hermeticorum praxi, quæ tota in soluen-
 do atque coagulando procedit ; licet non-
 nulli, & ad salis Tartari volatilis confectio-
 nem, at perperam, verba illa detorquere ni-
 tantur. Quare nescio, qua ratione dici pos-
 sit, vocem hanc Alchæst de sale circulato
 prædicto speciali soluente debere intelligi:
 nisi ob eam solam, quod dictio illa Alchæst
 ex germanicis vocibus confletur. Allegeist.
 quæ, totum spiritum, sonant. Cum autem
 noverit liquorem hunc totum spiritualem
 id est tenuissimum, & volatilem, ideo credi-
 dit, Paracelsum ejusmodi vocabulo prædi-
 ctum liquorem innuere voluisse, qui præ se
 fert aquam crassiorem visu, at re ipsa sub-
 stantiæ tam tenuis, ut ad misterum intima
 pertingere queat, illaque in varias discer-
 pere substantias priori simpliciores, at non
 in elementorum profundam, & mistionem,
 non absimili modo ac in destillationibus

ab igne fieri consuevit, quamvis hic elementorum quoque mistionem s^apissimè ingrediatur, illam tamen in pluribus saltem, ita perturbat, dissipat, atq; invertit, ut multum inde virtutis eorum intermoriatur, quod praedicto liquori non accidit. Hic enim ita cuncta penè resolvit, ut eorum virtutem non enecet, aut confundat; quoniam subtilitate, qua pollet, mistorum corpora, sic intimè pervadit, suaviterque dissoluit, ut in varias tenuissimas substantias dissecet, absq; quod in fumum, seu halitum effugiant. ideoque medicam potestatem, & alias retinere valēt, at non seminalem vim ac energiam, quā post misti resolutionē vegetā persistere impossibile est: ac propterea qua veritate dici possit, omne corpus sensibile, seu tangibile in primam materiam redigere, seruata seminum potestate, me præterit. an vero ipsem et liquor ad hepatis vitia conducat, uti Paracelsus insinuasse videtur, experimento mihi non constat, nechuius rei periculum faciam; cum pharmaca inde parata tutius ac utilius, sine pretiosi soluentis amissione exhiberi satius videatur, nec ipsum etiam Hel-

mon-

montium id attentasse crediderim, cum nul-
 libi se, intro illum exhibuisse commemoret;
 plurimas interim illi virtutes tribuit, ac id
 non ipsi per se liquori, sed pharmacis tan-
 tum, & arcanis inde paratis evenire intelle-
 xit: nec alium quemquam audivi, qui italia
 experimenta noverit, cum neminem hacte-
 nus mihi fama retulerit praeter supradictos,
 liquoris confectionem assequutum esse:
 quamvis ab Helmontio plurimos talis li-
 quoris possessores reperiri existimatū sit,
 quod ex eo retrahi probabiliter potest, quod
 apertè protestetur se, confectionem illius
 non revelaturum, propter rationes, quas
 (inquit) sciunt Adepti, sibi falsò persuadens,
 ut ex variis suorum libroruī locis coniicere
 licet, nec non ex relatione Viri omni fide di-
 gni liquorem suum, philosophorum esse de-
 cantatum illum, & occultum Mercurium,
 aut saltem necessario exigi ad magnum Her-
 metis Magisterium adipiscendum; quam-
 vis in hoc à veritate longe aberget. Cum
 enim ipse sciverit Arcanium illud à quam-
 plurimis licet occulto possūsum, ac re ipsa
 jam possideri, ut oculata fide intueri po-
 tuit,

tuit , & de facto pluries intuitum esse testatur , & semel puluerem illum amico unius vesperi exhibente, hinc inferre facile potuit, non paucos huiuscē decantati liquoris artifices, & possessores existere. At ego putaverim è contra, vix quempiam in præsentia vivere , qui opus illud abstrusissimum calleat, quantum quidem ex studiosorum relatione comprehendi potest, cum præterea processus e jussmodi difficillimus sit intellectu, factu laboriosissimus , nec ab ullo Scriptore palam descriptus habeatur, haud videtur existimandum , velle se quempiam, tam leviter huic operi , tam arduo ac laborioso implicare , cum præsertim longum requiratur tempus ac operator nullis occupationibus obstrictus , quibus omnibus impedimentis non rejectis illum adipisci impossibile.

— 106 (o) —

De Mato-

De Materia liquoris Alchaeſt.
DISCEPTATIO
SECUNDA.

Hujusce admirandi soluentis indagatores extitere quamplurimi, qui diu annixii quæſiverunt, ex qua materia, ſeu ſubjeſto illud conficere poſſent, ſicut de materia quoq; philosophici lapidis accidiffe notissimum eſt, quamvis in hoc pariter ut in illo à veritate longiſſimè deflexerint, cum tamen Helmontius illam patentiſſimè indigitaverit, tantum praxim reticendo. At opinor pauciſſimos ejus verum ſenſum penetraſſe, multoque minus ejus operationem, & effectus realiter attigifle. Gherardus Donneus Vir doctiſſimus, maximeque in Paracelsi voluminibus versatus, in vocabulario quod de vocibus obſcurioribus Paracelsi componuit, in dictione Alchaeſt hæc ait. *Alchaeſt Mercurius dicitur preparatus, nonnulli volunt eſſe Tartarum,*

mens tamen auctoris facile deprehenditur à præparationis ejus descriptione : in quibus verbis
 id primò adnotari velim , quod supra etiam
 innuisse memini, Processum videlicet, quem
 de Alchaest Paracelsus tradidit, communem
 pariter , & applicabilem aliis esse processi-
 bus. Secundo plures esse Scrutatorum sen-
 tentias , quid nam vox illa Alchaest signifi-
 cet. Tertio quod auctoris intentio ex il-
 lius præparatione facile deprehendatur,
 quod quam certum sit non leviter mihi du-
 bitatur , cum ejus operatio , uti superius re-
 tulimus , aliis pluribus chimicis magisteriis ,
 etiam his potissimum duobus applicari
 commode possit. Quarto , quod duplices.
 potiores sint de materia illius sententiæ,
 Mercurium scilicet , atque Tartarum: sed
 cum ipse dicat , nonnullos Tartarum velle ,
 inferri liquidò paret , primam opinionem
 probabiliorem sibi existimari , inquiens.
Alchaest Mercurius dicitur preparatus , ac
præterea innuit (ni fallor) Mercurium esse
philosophorum, & consequenter materiam
proximam , ac immediatam lapidis philoso-
phici, dum subdit, Auctoris mentem facilè de-
 prehend-

prehendi ex præparationis modo, quod inde ve-
 rius innotescit, quia postmodum verba illa
 addidit Paracelsus, *cum suum simile supera-
 vit.* Quod quamvis de liquore Alchæst
 intelligi possit, à quo suum simile ita vinci-
 tur, ut inde fiat metamorphosis valde admi-
 randa, tamen imagis propriè de Hermetico
 opere interpretandum videtur, quod idem
 à Gebero cap. undecimo. lib. 4. suæ summæ
 innuitur, cum enim ibidem duplicem esse
 medicinam tertii ordinis, dixerit unicam ta-
 men in essentia, & in agendi modo, postmo-
 dum subdit. *Est tamen additamentum ci-
 trinantis coloris, qui à sulphuris fixi mundissi-
 ma perficitur substantia.* En suum simile quod
 superandum est, post suam priorem præpa-
 rationem; quamobrem ex Dornei sententia
 concludimus, prædicta Paracelsi verba de
 lapide Philosophico intelligi debere, non
 autem de Alchæst Helmontii. At postquam
 ipsi sic accipere placuit nomen hoc Alcha-
 est, & nos pariter pro liquore hoc soluente,
 seu sale circulato accipiemus, non pro Mer-
 curio præparato seu sublimato, qui verè ac
 realiter spiritus est totius, atque etiam

spiritualior quam Alchaeſt ; qui quamvis
universalis ab auctoribus appelleſtur, id ta-
men non abſolute, & ſimpliciter accipien-
dum, ſic enim Alchaeſt universalior eſt, cum
omnia penetret plus minusque pro varia eo-
rum miftionis claufura. At Philosopho-
rum præparatus Mercurius aurum, quod à
nulla re, quantumuis ſubtili, penetrari valet,
neceſtiam à liquore prædicto; niſi ſolum cor-
pore tenus non miftione, ita reſolvitur, ſicut
glacies in aqua calida, ad aliud nihilominus
non inſeruit in hac ſua priori forma volatili,
niſi ulterius ad plusquam perfectionem de-
ducatur. Ex quibus omnibus colligitur,
ſubiectum primum, unde ſoluens prædi-
ctum præparatur, idem eſſe cum ſubiecto la-
pidis, hoc eſt substantiam corpoream mer-
curiale, non tamen vulgi Mercurium in
ſuo naturale eſſe corporeo, ut clarius
infra nobis demon-
ſtrabitur.

De utriusque Magisterii Materia
simplicitate, ac Virtute.

D I S C E P T A T I O
T E R T I A.

Hujusce inquisitionis discussionem ut-
pote ad chymicas cognitiones perti-
nentem , quantum scilicet ad philosophici
lapidis naturam indigitandam attinet,inOr-
thochimicorum tractatu fusius examinavi-
mus : nihilominus & hic aliquid de illa re-
petere minimè inutile videbitur: cum pleri-
que stolidè nimis hoc etrore detineri co-
gnoverimus, existimantes, philosophici ope-
ris subjectū non unicū esse debere, sed plura,
etiam si opus illud merè naturale(sicuti est)fa-
teantur; cum tamē in nullo alio simili hoc e-
venire videatur. Nulla etenim species sive a-
nimalis,sive vegetabilis suos specificos actus
in pluribꝫ materiebꝫ exercet, sed solū in una
unica sola,quod etiam ratione inotescit:nā cū
in similibꝫ naturæ actionibus causa efficiēs,
& artifex nō extern⁹, sed internus spiritualis
existat materiæ subjectæ ab initio suæ gene-
rationis implantat⁹,impossibile est,quia hic
domi-

dominator sit nisi unicus ; alioquin unicus non esset finis, nec ad unicam generationem ducere posset materiam, sed vel ad monstruorum, vel notham, & spuriam. Virtus etenim seminalis, quae sola rectrix totius generationis est, à pluralitate impediretur, ne suo marte materiam dirigere, ac gubernare valeret, dum alia hinc, alia illuc subiectum trahere pro sua cujusque prædestinatione nitetur. Quamobrē in nullius sapientis animū hanc insultam opinionem sibi serpere permittat, nec à quovis persuaderi, philosophici operis arcanum ex pluribus petendum esse subiectis, sed ex uno solo, & unico. Unicum autem dicimus, quod in unica specie reperitur ; & quamvis graviorum auctorum nonnulli contrarium affirmasse videantur, sciant autem omnes id non absque ratione factum fuisse. Cum enim subiectum illud non absimili ratione a covum multiplici substantia sit præditum, activa nempe atque passiva, vel triplici principio secundario sale, sulphure, ac mercurio, quae spiritum, animam, & corpus appellare soliti sunt, vel elementis quatuor, vel quinta, quam vocant,
 effen-

essentia, ex elementis extracta; vel alia mistica ratione, non mirum videri debet, si subiectum illud saepe simplex, saepe multiplex, ab iisdem vocari sentiant, ad insinuandas scilicet materiae praedictae proprietates, interiorem latentem essentiam, ac in opere mutationes de natura in naturam, sine qua quidquam boni praestare in hac arte penitus est impossibile. Hinc quoque Morienus materiam, ait, ex una primum radice oriri, quae postmodum in plures res expanditur: & iterum ad unum revertitur.

Non me latet, quosdam, ut contrarium pertinaciter substineant, duplarem afferre solere responsionem. Prima est. Metalla specie, atque essentia non distingui, sed solum accidentaliter pro eorum maiori, vel minori decoctione, & puritate, quod quam absurdum sit, quamvis id nonnulli non obscurioris nominis auctores voluisse videantur, in tractatu nostro de metallis, argumentis (nifallimur) insolubilibus, demonstratum est, ut illud hic repetere supervacuum haberi possit.

Secunda est. Quod licet materia, seu

A,

sub-

subjectum, ex quo virtutem seminalem petendam esse, volunt unicum solum esse fateantur, & hanc nullam aliam esse posse, nisi aurum, cum hoc virtutem suam exercere nisi apertum nec velit, nec debeat, hinc requiri aliam sophisticè, & insipienter præparatam materiam, qua talem auri solutionem, ac penitiorem elementorum ingressum inaniter tamen laborando parent; quasi virtus aurum soluens aliena sit, artificialis, & sophistica, obliiti forsaneorum, quæ à Comite Bernardo Trevirensi in Epist. candide adnotata fuere, nihil scilicet aurum soluere posse vera, & naturali solutione, quod ab eodem atro recongelari nequeat, ita ut unum, & idem cum ipso fiat substantia, materia, & essentia.

Cum ergo hoc omnium Scriptorum unisona sententia, & auctoritate nec non ratione, quin immò, & experimento verum esse cognoscatur, in philosophico nimirum opere unicam solum necessariam esse materiam, quæ alia re extranea non indigeat, nec sapientioribus illud novum habeatur, de materia tamen prædicti solutivi liquoris non

15

non ita pariter cognitum omnibus esse cre-
diderim, nec immerito sane, cum opus illud,
utpote artificiale ex pluribus compactum
subiectis, iure quispam suspicari posset, ut
de pharmacis, & confectionibus quampluri-
mis videre est, in quorum compositionem
plura simplicia ingredi perspicuum. Quare
& de hoc etiam dubitari posset, num ex
pluribus parari debeat simplicibus, ut ad a-
quarum, quas vocant separationis, normam,
& modum componeretur. At hoc falsum
esse sciant. Vnicum enim solum subiectum
est, ex quo liquor ille mirabilis, ac solvens
incomparabile extrahitur, quod fatis aperte
superiori capite revelatum est, quamvis,
sicut & in lapide aliquod extrinsecus ad-
iuuans adhibetur, quod tamen ad interio-
rem effientiam pertingere nequit; quin immo
ab extraneis utrumque destrui
posset, uti dictum est,
ac dicetur.

ass(0)so

De operis

De operatione, qualior Alchaeſt perficitur.

DISCEPTATIO QUARTA.

Cum ergo præcedentibus Disceptationibus satis apertè ostensa sit materia liquoris Alchaeſt , & num eam unicam esse oporteat an plures : jam de operatione pariter disceptandum est, quæ sit, & qualis, num eam unicam esse oporteat, an plures, & num per unicam , aut plures operationes efficiatur , cum ejusmodi cognitio ad hanc inquisitionem summopere conducat.

Diversimode autem considerata, unicam illam dicere, atque non unicam decet, ratione tamen consonum est illam unicam appellare. Etenim si Morienus philosophici magisterii opus , quamquam duplex, unicum potius dicendum esse monuit quam duplex, ex eo, quod primum sit, sicut & alterum , & ubi primum desinit , incipit secundum, multò rationabilibus hujuscē liquoris opus

opus unicum erit nuncupandum , eo quod non similitudine ac mysticè, sed realiter unicum & licet interruptum , cum eodem ordine , forma , & methodo totum procedat à principio ad finem . Attamen iuxta Paracelsum duplex operatio requiritur , præparatio scilicet atque perfectio : cum vero satis præparata venalis inveniatur , ad quid tempus , labores , & expensas impendere ? cum experimento cognoscatur , non minori virtute pollere eam , quam ex natura præparandam , ac vulgari arte præparatam accipimus . verum unicam ne dixeris , an duplice parum id referre arbitramur , dummodo sciatur finis , ad quem tendit , & quomodo , & quare sic tractari debeat . Etenim finis non est materiæ perfectio , ad quam vi seminis indita vergebatur , immò seminis ejusdem destructio , seu potius subiecti artificialis dissolutio non ad elementa , sed ad principia secundaria , nam uti manifestè probatum est in Orthophysicis , mixtorum dissolutio , eorum præsertim , quæ stricto ligamine per naturam condita sunt , etiam si violenter illa procedat , non illicò in elementa abibit

mix-

mixtum, sed in principia secundaria; cum natura mistionem salvare nitatur quantum possibile fuerit, quamvis quamdam etiam materiae portionem in elementa abire non sit inconveniens, quod experimento etiam in qualibet dissolutione cognoscitur, partes vero sic dissolutæ si conserventur, vel sulphur erit. vel Mercurius, vel sal juxta proprietates illis partibus inditas: cum ergo liquor iste nec comburatur, nec fixus igni resistat, iure optimo mercurius nuncupabitur, & erit Mercurius de Mercurio, sicuti de philosophico quoq; idem perhibetur, hunc enim Mercurium de Mercurio appellant; at diversimode, uti alias explicabitur: interim cum principia praedicta elementis propinquiora sint, licet ex homogeneis mixtis provenientia, simpliciora, puriora, ac simul debiliora cognoscuntur: hinc est, ut praedictus liquor, utpote Mercurialis homogeneus & tenuissimus mixta cætera penetrando intimius, quam aliud quodlibet soluens peruadat, & illa in substantias sic separat, ut tenuiores reperiri non sit possibile, ac preinde virtutibus pollentes, metalorum

Iorum tamen transmutationibus ineptas.

Quamobrem **confectio eiusmodi sol-**
vētis non est ejusdem perfectio quoad prio-
reminditam à semine proprietatem, sed di-
ci potest perfectio extrinseca quoad effe-
ctum , quatenus mistorum partes actu in-
divisas, potentia vero nulli alteri dividendas
disgregat: quin immò quantum ad intrinse-
cam naturam potius corruptio est quam
perfectio, quod Geber de metallis imper-
fectioribus asserit, existimans quas contine-
re sulphureitates, quarum alteram acciden-
talem ipse nuncupat: eo quod metallo iam
in sua puritate originali genito superveniat;
atque id ratione loci mineralis contigerit,
quasi locus diversis excrementis sulphureis
infestus metallicam materiam in primordiis
generationis puram inficiat, ac pro varietate
impuritatis , & fuliginosi sulphuris à quo
comūne mercuriale subiectum fædatur , &
ex universalitate in particularitatem redigi-
tur , & pro varietate juxta quorūdam aucto-
rūm sententiā huiuscē sulphurei excrementi
variæ quoque metallorum species oriuntur.
Id autē opinatus est Geber, & cū ipso plures
etiam

etiam Chemicæ professores : quia experientia cognoverint, præfata recrementa segregari vel lapide philosophico , vel physico-chemical, regenerationis magisterio: dum enim intuiti sunt ab imperfectioribus metallis plus minusue hanc , vel illam fæcum speciem per lapidis projectionem super illa renoverti , immò, & per solam caloris digestionem à nonnullis ; jure sibi persuaserunt superfluum illud accidentaliter illis post primam elementorum migrationem loci defectu immisum fuisse.

Id autem non ita se habere probatum est nobis multoties in Orthochimicorum opere præsertim , in tractatu de metallis, & alibi fusius , nec ipsos Auctores id voluisse, sed arcanum artis præcipuum sub tali sententia occlusum indigitasse. Vis enim spiritus seminalis in qualibet re interius latentis, nisi alicuius necessariò requisitæ circumstantiæ defectu prohibetur ab opere cui destinatur , corpus sibi , suisque operationibus opportunum cōflare nititur quoad potest, suisque necessitatibus providere; quare in lapidis projectione super imperfectiora metal-

metalla superfluitates non auctu illic existentes purgantur ; Sed de novo genititæ dividuntur. Vis enim lapidis, quæ nil aliud est nisi spirituale semen per ignis multiplicacionem maximè auctus in corpore lapidis debitam sibi , ac necessariam corporeitatem non inueniens in alieno parat, & eousque se sedilatando diffunditur , quo usque tota ipsius vis exhauriatur, & ad finalem terminum sibi naturaliter debitum deveniat , atque sic auri, vel argenti speciem indit. Cum vero totum imperfectioris metalli corpus huic operi non sit opportunum , non mirum est, si aliquid inde excrementitium segregetur, quod tamen neutquam superextitisse dicitur. Hoc idem efficeretur, si super aurum vis alia seminalis aucta inferioris alicuius metalli effunderetur , necessario siquidem tunc ex auro quoque aliquid fæculenti separaretur ; illud videlicet , quod tinturæ super illud projectæ suscipienda ineptum foret. Naturæ siquidem respectu non magis dici debet perfectum aurum , quam aliud ex inferioribus, quæ suum semen , ac perfectionem æque ac aurum ab illa obtinueret.

nuerunt. Quare superfluitatis ratio respectiva est, non absoluta. Sicut pariter Homini accideret, si carnibus vesceretur animalis cuiusdam, utpote hædi, vel leporis, humani vis feminis id sibi pro nutrimento assumeret, quod aptum ad suas proprietates illi comunicandas inveniret, reliquum vero ut fæculentum reiiceret, at si ex iisdem carnibus canis elementum acciperet, nec eandem portionem pro se retineret, nec idem excrementum repelleret; cum semen, quod est nutritionis efficiens causa, diversum sit in homine, & ac in cane. Atque pari ratione si canis, vel aliud animal humanam ederet carnem, quamvis cætrarum perfectissima, ac temperatissima, judicetur, aliud foecis genus ejiceret, & aliam inde alimenti portionem pararet. Sicut enim diversum semen diversum corpus efficit: Ita alimenti diversitate indiget ad idem corpus sustinendum: quare hincapertè liquet, similia recrementa variari pro varietate feminis efficientis, ac proinde in diversis esse diversa actiones dici respectivè virtutis illius generantis,

tis, nec ullo modo ante in carnibus prædictis extitisse divisa actu, sed solum potentia-liter dividenda.

At in opere physicochemico quamquam additio non fiat alieni seminis, cui possit nova regeneratio accepta referri, sed ex eadem met virtute priori, per quam subiectum illud genitum est, & in tali termino relictum ulterius ducitur in novam formam, ad quam sola natura non poterat, sed artis auxilio ministrantis, & ignem, ut oportet, dirigentis in speciem non absolute, & simpliciter diversā, sed ad eamdem, ad quam semen vergebatur, & natura ipsa si potuisse et æquè adduxisset: sicut patet etiam in animantium ovis, in quibus jam semen pullorum præexistens fætum suę speciei proprium gigneret, non alienum: si stitur tamen vis illa in ovitermino, quia calore destituitur, quo adveniente species jam præconcepta erumpit, nec alia poterit umquam inde elici, quæ ibidem antea non extiterit. Hoc idem in plantarum seminibus observatur, in quibus vis seminalis antea clausa, & quiescens terminum quemdam sui motus habere dignoscitur, quo usque in terram

terram iniecta nutrimento , atque calore in novas protuberant stirpes easdem penitus cum iis, à quibus semina profluxerant.

In materia igitur philosophica paucum illud nigrum, ac leve superfluum , quod obstetricia manu artificis removetur , semper idem appareat , cum semper eodem efficiente, iisdemque instrumentis procedat. Sed in projectione lapidis philosophici Argyropei super metallum omnino idem, diversum extrahitur excrementum , ac in projectione Chrysopoeii , quod clarum signum est, excrementa e jussimodi varia gigni pro diversa efficientis virtutis specie. Totum obiter dictum sit, ut ostenderet superfluitates illas non accidentaliter post primi subjecti generationem inchoatam supervenisse , sed partes esse subjectorum essentiales, ac de intrinseca eorundem ratione, & necessario requisitas ad exigentiam naturæ , ubi individualiter existunt.

Geber itaque de sulphureitate loquitur, quæ vi proprii seminis ex subiecto artis extrahitur sola digestione , absque alterius seminis potentia extrinsecus superinjecti, quam

quam ideo accidentaliter præextitisse scribit, & cum difficultate tolli.

Alteram vero nulla ratione à metallis ramoveri possibile esse, quia sit de illorum essentiali proportione, ideoque non posse inde sine subiecti destructione removeri: nec forsan cognovit hanc pariter posse aliquo modo separari, quamvis multò difficilius quam altera, nec tamen subiectum penitus destruitur ob rationes, quas clarissimas demonstravimus in nostris Orthophysicorum libris: atque in operatione Alchæst, per quam subiectum destruitur quidem à priori suo esse, & naturali, ad quam vergebatur propensione, non tamen in elementa redit, sed in secundaria principia, uti dictum est, quæ substantiæ sunt à priori subiecto longè diversæ. Ex his non difficile erit colligere alia duo, quæ superius proposita sunt, & quomodo soluens hoc ita præclarum præparari possit.

Operationem vero specialius, ac lucidius exposuissem; sed propter rationes, quas in præfatione conscripsi, indecens atque injustum videretur. Non dubito tamen Pru-

dentioribus , ac industriis Artificibus suffi-
cienter esse insinuatam , nec tam apertè ab
aliis , qui eam possederunt fuisse præmon-
stratam.

Si enim ipse inter tot Scriptorum amba-
ges eruere potui, multò facilius ex his , quæ
superius præmonuimus, poterit quisque sa-
gax indagator eamdem intelligere.

Hoc præterea superaddere non recusabo,
quod cum subiectum præmonstratum sit
per naturam perfectissimè , ac strictissimè
mīstum , ideo non facile in principia secun-
daria resolute , sed patientiam non vulga-
rem exigi, laborem, ac temporis diuturnita-
tem , ut ad finale complementum , in quo
suis polleat virtutibus mox enarrandis , re-
ducatur.

De operationibus lapidis Philo- sophorum.

DISCETATIO QUINTA.

Quamplurimi , præclarique Scriptores
innumera edidere volumina de ope-
ratione,

ratione, quam physicochemicam, eo quod
 naturæ, & artis iuuamine conjunctim fiat,
 appellant, ut supervacaneum, ac inutile pla-
 nè videatur, de illa quidpiam aliud superad-
 dere; vel enim actum agi frustra, vel errores
 plusquam nimis auctos ex multiplicatione
 verborum multiplicari judicabitur: atque
 sicuti nullibi non extant, quide opere illo
 arcano clariorem, aut minus saltem impli-
 catam declarationem promittant: ita nus-
 quam possidentes realiter, & ex voto in pro-
 patulo se manifestant: vel quod nemo talis
 reperiatur: vel quod si quis: apparent rari
 nantes in gurgite vasto: nec id quidem mi-
 rum ob rationes partim infra, partim alibi
 nostris voluminibus enarrandas. Nihilo-
 minus profiteri non vereor, me hic plura re-
 velasse, ac revelatum ad illius operationis
 intelligentiam summopere conducentia,
 quæ apud alium quempiam professorem
 non facile erit invenire. Candidis igitur,
 ac æquis artis abstrusissimæ Indagatoribus,
 nec parum proficuum, nec minus gratum,
 quod ingenuo, fidelique animo, calamo
 comprehendere volui, futurum esse spera-

verim. Quare singulos, ac universos mon-
neo, ut attentius, intimiusque scrutentur,
quæ h̄ic subiectam : nec existiment me
quidquam ex opinione prolaturum, sed ex
ipsissima rei experientia manuali opere ve-
raciter comprobata. Ex hoc enim omne
dependet, operatione scilicet, per quam ma-
teria ad ultimam perfectionem suscipien-
dam disponitur. Si enim præparatio rectè
fuerit instituta, quod reliquum est, opus est
facile, nullius laboris, ac nullius penè peri-
culi, nisi data opera destrueretur, quod
Amico semel contigit.

Cum enim opus perfectissimè disposi-
tum, atque vas, quo erat inclusum, Herme-
tico sigillo præmunire tentasset, cum vas
patulo nimis collo, ac breviori igni admo-
tum vitrum cliquare tentasset, ex vehemen-
ti calore materia cominus caletacta, subito-
que rarefacta in vaporem crassum, totum
vasis corpus replentem commutata est, cum
tamen antea vix quintam, vel minorem
etiam partem capacitatis occuparet.

Vapor hic crassus, opacus, gravis, nec
enim extra effugiebat, frigida infusa cohibi-
tus

tus in priorem densitatem, & formam licet fædatam rediit; at nulla vi potuit amplius ad sui priorem rectitudinem impelli; mixtionis enim interna proportio spiritualis seminis suo muneri obeundo penitus inepta fuit redita. Vix autem crediderim simile quid ulli artis Professoriumquam occurrisse: cœterum non ita facile continget occasio, ea- susve destructionis. Duo ergo puncta sunt, seu fundamenta, quibus tota Sophorum Ars innitur, materia; scilicet Inventio, circuca quam insudet Indagator, & operatio, qua in illam suos labores exerceat. Illam noscere non ita difficile, arduumque credatur: habi- lem sed reddere massam, juxta omnium una- nimum Magistrorum sententiam est pe- nè impossibile, ob plurimas, quæ requirun- tur, circumstantias, singulas ita necessarias, ut una neglecta, etiam si cœteræ omnes con- current, irritus labor omnis subsequere- tur. Harum præcipua in igne consistit, in cuius gradus, & punctorum mensura totum opus consistere asserimus; non quia ignis dumtaxat consideratio sit satis; sed quia prin- cipalior est, ad quam etiam alia reducuntur:

& quia ipsum adhibere oportet , nonnulla ex ipso provenientia observanda . Hinc Morienus fideliter monuit Artificem unumquemque rem ipsam inspiciendam dum ait .

Respicenigrum completum , nigrum à sua nigredine diminutum , omnemque nigredinem : id est acutamente perpende mutationem , & causam , ex quibus pariter opus rectè dirigi poterit , ac ex iisdem error , nec non superabundantia præcognoscetur , & evitabitur . At ad amissim hæc scire , quæ dicuntur sufficere , atque opere practico invenire , labor est laboriosissimus , ad quem tamen non corporis robur , sed animi virtus , oculorum , & manuum perdiligens industria requiritur . Hinc idem Morienus circa sui libelli calcem , admonitionem aliam summoperè notwithstanding reliquit , dum inquit , operationem illam non sufficere , discipulum à Magistro recipere , hoc est aptum indagatorem à sciente Doctore ; sed insuper necessarium esse , ut eamdem discipulus à Magistro operante simulque docente re ipsa intueatur non semel , aut bis , sed frequenter : quæ verba non leviter

leviter sunt transigenda; cum hinc aperte cognoscatur, quam ardua difficultisque sit operatio prædicta, quam nonnulli etiam ex plebecula vulgaribus, in anibusque practicis insistentes suffurari sperant, casu potius & opinione fidentes, quam reali solidaque doctrina, experimentis interruptis indivisibiliter connexa.

Sicut autem materiam unicam penitus esse asserimus, ita quoque operatio unica, simplex est & linearis: atque hic animadvertendum quamplurimos errare, existimantes solam, unicamque vocari vel ratione finis, in quo sit una, vel ratione artificis plures in unum componentis. At scire quemlibet oportet materiam non sic unicam prædicari, quoniam hac ratione pharmaca quoque artificialia unius unitatis nomine nuncupari possent, licet ex pluribus composita, quod tamen non accidit in rebus naturalibus, in quibus non observatur nisi unica, & singularis materia, sive subiectum, ut apparet in seminibus, & animalium ovis, quæ potissima sunt exemplaria, ad quæ respicere iubetur Artifex ab auctoribus primæ classis. Sic

Tismegistus ibi. In Gallina ovo maximum
subsidium est, & in natura propinquitas. Sic
Moschus in Turba. A nostro pulvere albo,
stellato, splendide apta sunt instrumenta pro
ovo: & Augurellus.

*Quin etiam duplieem scito vim intrinsecus
esse*

*Et quae semper agat, & qua patiatur ut una
Famina, & Masque agitent, velut in cum
nullus in ovo*

*Crescit agente quidem hoc, atque hoc patien-
te vicissim,*

*Exterius tanquam mītā, atque fovente calore
Adiutus, neque tu quidē convenientius ullum
Exemplo hoc credis, neque quod me ī indice
semper*

*Acrius inspectes, atque ad quod cuncta redu-
cas.*

Sunt quidam tamen nature operum igna-
ri existimantes plures, duas saltem requiri,
quarum altera fœminæ, altera Maris vicem
gerat, quod in plantis non accidit, multo que
minus metallis, quæ instrumentis ita desti-
tuun-

tuuntur. In animalibus vero propter sensuum organa , & nutritionis instrumenta, Maris, & Fœminæ necessitas fuit, ut in illis materia ad illorum exigentiam elaboraretur multipliciter, variisque virtutibus prædita redderetur, quod in metallis, quæ unico actu non interrupto ad finale complementum deducuntur per naturam , necessarium non erat, unum enim , & idem simul , ac semel maris, & fœminæ partes explet: & hinc hermaphrodita dicuntur ab Alexandro; sicut & plantarum semina. quamobrem in opere philosophorum arcano materia unica sola, & singularis esse debet ab ipsa natura artifici exhibita, quam ipse sumens nihil illi addere, nec aliquid demere debet, si quidem ipsa sibi sola sufficiens est. Hoc autem ideo dictum volo, quod nonnulli existiment diversa metalla simul couniri oportere , aurum nempe vel argentum cum mercurio complicantes, vel cœterâ imperfectiora metalla, sive metallica subiecta, sperantes illa per artem unâ taliter commisceri, ut in unum tandem mixtum verum atque perfectum redigiqueant. Sed ipsos iterum, iterumque mo-

nitos velim, misticiones eiusmodi metas esse
 nugas, sophisticaeque opiniones ex aucto-
 rum ambagibus perperam detortis exortas,
 quæ nec rationi congrua cognoscuntur, nec
 experimento respondere observantur. Non
 tamen negaverim, semel aurum, vel argen-
 tum superaddendum: at cum hoc exigitur,
 iam arcanum opus integrè peractum erit,
 atque hac solum ratione soluuntur Magi-
 strorum ænigmata, cum de unitate subiecti
 aliquoties, alias verò de pluralitate pronun-
 ciasse videntur. Diversis enim tempori-
 bus id verum est: in ipso tamen exordio,
 cum operator artificialis inchoare opus pre-
 sumit, tunc unicum, solum, & singulare sub-
 jectum recipit, & in illud operatur, quod
 Morienus pluribus exemplis demonstrare
 adnititur. quod si sæpe materia vocatur mul-
 tiplex, id non ratione suæ corporeæ indivi-
 duitatis intelligitur, sed ratione virtutis in-
 terius existentis, atque sic duplex dicitur no-
 mine Maris, & Fœminæ. Agentis, & Pa-
 tientis. Solis, & Lunæ, aliisque dualitatis
 infinitis propemodum formis metaphori-
 cis, ac mysticis, vel ratione partium, signo-
 rum

rum, & naturæ per naturam diversitatis, & sic triplex: vel ratione elementorum componentium per naturam in primordiis illius conexorum: & sic quadruplex: vel ratione totius cursus & materiæ ex hoc ultimò emergentis, & sic quintuplex solita est appellari, quod alibi nobis apertius declaratur.

Sicut ergo unica singularis materia est, & requiritur; ita unica sola erit operatio, per quam illa ad sui perfectionem naturaliter tendens impellitur, non ita tamen una, quin possit etiam multiplex vario respectu, ac mysticis sensibus nuncupari. Hinc est, quod penes aliquos dicatur solutio, & congelatio, atque aliis nominibus insignita reperiatur, ad hoc solum inditis, ut operationis effectum juxta naturæ intrinsecus operantis exigentiam, manifestum redderent. Si vero totus operis progressus intelligatur, quantum videlicet, & dispositionem, & perfectionem ultimam comprehendit, tunc bene dicti poterunt operationes pronunciari, quarum prior difficillima, lubrica, & occulta altera faci-

facilem, tutam, clare descriptam antecedit: mistica vero similitudine ita invicem conveniunt, ut vix, nisi cui oculis perspecta fuerit, credibilis. Quod & testatur Morienus asserens, unam esse, sicut & alteram, & cum prior desinit, incipit posterior. At plurimum discriminis in rei veritate subesse intelligas, tum ratione temporis, tum ratione aliorum, ut ignis, vasorum, naturarum, signorum, clausuræ, iuuaminis, adiunctorum, finis, & materiæ præsertim, quæ in priori per solam naturam composita & perfecta sumuntur. In posteriori per naturam & artem simul conflata ulterius in maiorem perfectionem trahitur.

Natura ergo sola primò materiam exhibet, quam accipiens Artifex ut minister cum natura principaliter operante præparat, quam postea iterum naturæ solum operanti substernit, atque sic repetendo in admirabile, ac pænè incredibile perfectionis augmentum promovet.

Qui hæc non acutè observavit, in plures difficultates delabetur, nec mihi (si sci-
et) pa-

et) parum gratiæ se habiturum cognoscet
hæc hactenus sicut intacta revelanti.

Præterea addere non pigebit operatio-
nem illam diversimodè indigitari nominini-
bus maximè notandis, non enim frustra tali-
ibus exornatam credas. **Dicit a est autem**
præparatio, compositio, coniunctio, reno-
vatio, animatio, regeneratio, multiplicatio,
fermentatio, sublimatio, aliisque innume-
ris , inter quæ præcipuum est sublimatio,
quo illam dixerunt Geber, Bernardus Co-
mæs, Lullius, Arnaldus, Auctor Auroraæ, ac
plerique alii , non quidem quod sublimatio
sit, ut vulgo solet intelligi, ut perperam scri-
pto prodidit Alexius Pedemontanus , ubi
pluribus de sublimato vulgari differit, in cu-
jus finis calce processum inculcat falsissi-
mum, penitusque impossibilem ; quod mo-
nuisse volui, ne quisquam illum tentare au-
sit, ne serò pœnitentia , quandoquidem tem-
pus, impensas, laboresque inaniter amittet.
è contra diligenti examine scrutabitur, quæ
Comes Bernardus fideliter, quamvis occul-
tissimè , in Epist. ad Thomam Medicum.
Sunt quadam Mercurii sublimationes ab ejus

pro-

propriis corporibus &c. quæ verba, cum intellectu sint ardua, nec ita intelligenda sicut prima fronte videntur, quibus etiam se deceptum testatur Theobaldus ab Holande lib. de diff. Alch. ideoque illa sicut & alia quamplurima ante hac nunquam alicui litteris evulgata, veraciter, nec obscurè interpretati sumus in Ædippo Chæmista.

De Salis Tartari, ac similiis Alchaliis Volatilitate, & ad id necessaria operatione.

DISCEPTATIO SEXTA.

Determinatum est in physicis, dum mixta per ignem soluuntur, non in clementia prima abire, sed in tria secundaria principia iure meritò appellata, in sulphur, quod ardet, in Mercurium, qui solus sine combustionē ab igne fugit, & in sal quod pertinax igni resistit absque fuga, & combustionē, quæ singillatim quoque colligi poterunt, & ab

ab ignis actione seruari, si vasis clausis, & ab igne cōvenienti dissolutio instituatur. Cum vero sal plurimum prioris mixtionis virtutis, & efficaciam retinere fuerit existimatum pro curandis humani corporis ægritudinibus, utpote mixti partem strictius ligatam, ideoque proprietatum à propria specie provenientium conseruaticem fideliorē, at periculo facto votis haud respondere observatum est sæpius. Si enim ignis externi potentiae restitit, quanto magis internorū viscerum tepido calori resistet? Quam obrem vel invictum, & consequenter inefficax transibit in officinas nutritioni dictas, vel si quid evictum digestumque ingrediatur instar alimentorum, inefficax ad morbos reperietur, & ciborum norma subiicitur: quare nonnulli secretioris naturæ mysteria scrutantes idem sal fixum in volatilem naturam redigere laborarunt, ut sic subtilius, actuationi, quam vocant, aptius, & consequenter potentius redderetur: nec id per se solum, sed aliorum simplicium connexione adiutum. Cum enim illa intimius sua tenuitate peruadit non-nihil

nihil illorum dissoluendo sibi adjungit, & ad penitiora viscera virtutes illorum defert. **Hoc autem licet omnibus æquè alchalibus commune sit;** specialibus tamen efficaciam quamplurimum Tartari sali tributum est ab Helmontio , qui tamen operationem retinuit, cum nihilominus medentibus eiusdem salis potentiam saepius inculcaverit, cupiditatis , & curiositatis appetitum excitante, non explente. Occasione igitur liquoris Alchaeæ, cuius vires , & vices supplere ac proximè æmulari prodidit , non incongruum videri debet , si de illius quoque operatione nonnulla disceptare hoc loco sumperimus: de illius quoque virtutibus postea lo-
cuturi.

Ut autem salem hunc in volatilem natu-
ræ vertatur, dupli solum methodo procedi poterit. **Cum enim Terra principium sit fixionis:** Aqua vero volatilitatis, non solum prædicta salia , sed quodlibet aliud quod si-
xum sit tunc volatile redditur , cum vel ter-
ram diminui , vel aquam prædominari fece-
rimus : sicut è contra tunc ex volatilitate in
fixionem cuncta ducuntur , cum aquæ su-

per-

perabundantia deficit, vel terræ defectus ju-
vatur. Id autem non in superficie, & cor-
pore tenus intelligi debet, sed intrinsecè, &
in intima elementorum connexione, alio-
quin per ignem, quod superadditum est faci-
le disgregabitur, nec voti compotes redde-
munt. Idem quoque contingit, si quid addi-
derimus, vel subtraxerimus alterius misti, in
quo prædicta elementa dominantur, ut si
non aquam, sed aqueum adiunxerimus, vel
terreum, non terram, dummodo quod additur
in radice alterius misti couniri valeat. Sal er-
go fixum tunc volatile reddetur, si aqua in-
timè illi adiungatur: vel quid aqueum, quod
tamen in prædicto artificio videbitur im-
possibile. nihil enim addi potest elementi
vel elementati alicui mixto, nisi mixtionis
compages solvatur, mixtumque aperiatur,
alioquin quod superadditur, ut pote acciden-
taliter superveniens, levi etiam negotio di-
jungitur. Non enim arti concessum est, mi-
xtum aliquod vel principium secundarium
ex elementis componere, sed soli naturæ mi-
sterium hoc reservatur. In Magisterio ta-
men philosophico id necessario fieri opor-
tet,

tet, dum auro Mercurium adiungit, non tam
men vulgarem, sed philosophicum; quia ab
auro nihil penitus differt, nisi digestione se-
minali spiritu, & elementorum prædomi-
nio, quæ intimam coniunctionem non im-
pediunt, sicut in alimento animalium nutri-
tioni destinato videre est: hoc enim semi-
nali virtute subiicitur aliti, quod in ul-
timam suæ missionis proportionem ali-
mentum redigit separando, quod sibi
adversari possit; quemadmodum aurum sua
seminali virtute Mercurium tamquam ali-
mentum beneficio externi caloris digerit,
hoc est calorem internum auget, elementa-
lia corpora attenuando intimius coniungit,
& superfluam humiditatem abiicit, quamvis
id aurum efficere nequeat, nisi prius mercu-
rius illud in profundo penetraverit, dissolve-
rit, & ad actionem super ipsummet Mercur-
ium efficax reddiderit; ideoque prius Mer-
curius aurum volatizat, quo usque vis semi-
nalis auri, quæ spiritualis est, disso-
luta, sibi proprias ac naturales vires rur-
sus nausta Mercurium evincit, sibi stabi-
liter adiungit, & figit, idque pluries
reite-

reiteratur, semperque viribus valentior observatur.

Hoc tamen in prædicto Sale evenire nequit: cum enim illud principium sit secundarium ex resolutione alterius misti exortum, non poterit sic aperiri, ut ipsius interiori virtute aliud superadditus evincatur: cum enim debilius sit quam mistū, unde fuit eductum, facile in elementa resolvitur: & plurimi quidem hoc per aquam ardente obtinere tentarunt, sed frustra, quamvis enim repetendo aquæ vitæ infusionem in illud, multum videatur illi adnecti, nihil tamen inde volatilitatis assumit. Spiritus enim prædictus instar aquæ pluvialis magna ex parte egreditur, & quod illius non mutatum prius ascendit ex Sale nihil virtutis efficacioris assumit.

Nonnulli per proprium spiritum ex Tar-
taro elicitum hoc idem inaniter tamen ex-
pertifuerunt. Alii aliis mediis, sed fru-
straneo conatu omnia, & hoc quidem
rationabile videtur. Sicut enim arti
horum principiorum conflatio denegatur:

Ita

Ita pariter denegabitur principis hisce extraneū intrinsecè ac perenniter immisce-
re. Perinde enim videretur ac si vellemus,
quod in principium est deductum , in no-
vam misionem reformando adigere. Faci-
lius enim mista destruere , quam construe-
re.

Quamobrem altera via incedere necesse
erit, superfluam , scilicet, terram ab ipso sale
deturbandi, superfluam autem dicimus non
suæ naturæ respectu ; sed ratione intentionis
volatilitatis , ita ut tantum demere conveni-
at , quantum sat videatur ad illud volatile
reddendum. At hic plurima sunt, quæ nobis
negotium facessere poslunt : cum enim sal
prædictum in puritatis complementum re-
dactum fuerit , facile etiam ad ignem liqua-
tur : atque ideo partes illius ita sibi in vicem
connectuntur, ut divelli nequeant, nec à ter-
ra superabundanti dividi; quin immò vasā vi-
trea sua corrosiva vi , & acutiori penetratac
frangit quod si quid addatur ad eius flu-
xum , & liquefactionem prohibenda si-
cut in destillatione spiritus salis communis
confuevit; per quod particulae rei dissoluen-
dæ sepa-

dæ separatæ maneant , aditum igni potentiori præbeant, & spiritus egressioni via non intercludatur , tunc quod additum est in vitrum levi negotio abit , & tenacius totum redditur, & indissolubilius. Qui igitur ingenio pollebit, facile hinc scire poterit, qua ratione, quo medio , quo igne , & quibus in universum circumstantiis operationem hæc instituere oporteat , sic enim spiritus ex sale extrahi poterit , nec tamen ob debilitatem salis ligaturæ elementa dissolventur, nec ministerium exterminabitur. Sufficiat igitur hæc candidis Artificibus revelasse : cætera experiendo studio atque laboribus assequentur.

In quo consistat difficultas Inventionis liquoris Alchæst.

DISCEPTATIO SEPTIMA.

Difficultas Inventionis Alchæst recolligi quadantenus poterit ex iis , quæ præ-

prædicta sunt, ubi de eius operatione disceptavimus: at hîc specialius nonnulla recensere volumus, ut facilior aditus indagantibus præbeatur, ac unicuique pateat, quam ipse à livoris **crimine** abhorream, & quam mihi cordisite orundem inquirentium arcaña profectus.

Cum ergo præmonstratum sit subiectum, ex quo soluens illud paretur, strictissimæ esse mixtionis, atque arctissimo elementorum vinculo à primordiis generationis constrictum; hinc fit ut non facile dissolui queat, quam difficultatem si Paracelsus innuisset, quamplurimi illo potiti fuissent. Destructionem vero dicimus non in elementa, sed in principia secunda, in quæ prius materiam resolvendam transire necesse est, quam in priora, quæ ipsa elementa sunt; ideoque debiliora sunt secunda, cum sint à priori ligatura dimota, & hinc facile etiam per aquam amittitur liquor, utpote à tamquam à suo comparî in simpliciorem naturam ducitur; quæ cum nulla esse possit quam elementa, propterea in illa abit in sui

sui finali resolutione. Difficultates itaque in universum plurimæ sunt.

Prima est, quam retulimus corporis strictissima connexio in suis elementis, quæ longo labore ac tædioso indigent, ut aperiatur, sine qua apertione illum obtinere liquorum impossibile esset. Secunda est propter adiuncta: cum enim solū destrui nequeat, necesse est, ut quod per se non possumus, per adiutorium procuremus. quare illi aliquid adiungere convenit, quod ipsius dissolutionem promoteat; ut sic per liquefactionem ad dissolutionem quam intendimus disponatur. Tertia ab igne pendet: hic enim sicut in qualibet artis chæmicae operatione multiplex requiritur, qui licet vehemens requiratur, non tamen uniformiter ac æqualiter, sed iudicio atque experientia opus est, ne ignis defectu opus destruatur: hinc est, ut indigeat & loco oportuno, & furnis, & vasis convenientibus, sine quibus impossibile est opus completum obtinere, & ab his plures etiam emanere solent difficultates, quas singillatim enumerare non expedit; prudenti enim & experto benè notæ esse

esse possunt: ultima tandem est, quam retulimus; facilis videlicet liquoris amissio, quæ pluribus accidere potest occasionibus: quod & ipsi Helmontio contiguisse crediderim, cum de lagenæ sibi ablatæ amissione conqueritur.

Præter hæc vero quamplurima etiam accidentaliter superuenire queunt, ex quibus liquor seu factus, seu in ipso operationis progressu amitti facile poterit, quæ omnia ex parte solum praxis intelligenda erunt; ut liquet, hoc est ex ipso manuali opere, cum rectè prius fuerit intellectum mentali cognitione, quam nunc theoricam dicimus seu practicam mentalem juxta Lullii doctrinam in Theorica sui testamenti. Theorica enim propriè non est nisi cognitio causarum, & rationum practicæ operationis, quæ duplex est. alia manualis, quæ actuali opere exercetur. alia mentalis, hoc est cognitio eiusdem met operis, cum mente præconcepta possidetur ante practicam manualem, quæ ex illa necessariò sequitur, & hæc ad illam præcedit quomodo enim aliquid actuali opere obtinere sperabimus, nisi prius illud animo præ-

con.

conceptū integrē præsciamus: hoc autē dupli difficultate contegitur , quarū prior in materiae opportunitæ inventione cōsistit, posterior in recte operandi modo cū omnibus ad illum requisitis circumstantiis. & materia quidem innotescere satis posse apparet ex iis, quæ supra scripta sunt , ubi de illa disceptavimus : nec minus etiam ex proprietatibus, quas illi tribuit Helmontius: ex quibus & ipse illam non difficulter percepisse profiteor : & quamuis plurimos audiverim, qui hīc hallucinentur, id non ex alia ratione provenire crediderim , quam ex nimis crassa scrutationis ignavia , mentis , & ingenii rusticitate ; clarius enim indigitari nequit, nisi illam prostituere perperam velint , quod tamen omnis ratio, & justitia vetat , neque solum huiuscē liquoris ratione , sed & philosophici lapidis , cuius materiam eamdem esse s̄æpius retulimus: materiam autem hīc intellegimus, quam ipsa natura nobis ultrò præbet, rudem indigestamque molem ; antequam scilicet quicquam in illam ars operetur. Siquidem ars ab ipso statim exordio per suam operationem diversitatem in illam

efficit, sicut & in alio quocunque subiecto naturæ contingit, veluti cum ouum gallinæ incubandum substernimus ad pullum inde procreandum, vel igni coquendum apponimus ad alimentum inde parandum ; sicut quoque lignum non absimili methodo dupliciter tractari potest. Primo cum illud terræ mandamus ad sobolem multiplicandam ex vi illi naturaliter indita. Vel cum eodem utimur ad usus diversos humanis necessitatibus necessarios.

Maior itaque difficultas est in cognitione practicæ manualis, quam penitus artificiam esse præmonuimus. Maior enim hic est quam in opere chæmistarum. Cum enim illud merè sit naturale, & iuxta naturæ exigentiam progredi beat, liquet non nisi unico opere id exerceri debere. quicquid enim iuxta naturæ ordinem, & modum actionem suam exequitur, non nisi unica & singulari operatione fieri necesse est, ut in omnibus, & singulis naturæ mistis & eorum actionibus innoteat. At in opere Alchæst, ut potè merè artificiali, non ita facile est illam indagare: hæc enim multiplex concipi potest;

test; cuen tamen non nisi una cum taxat artificibus, qui illam assequuti fuerunt, hactenus cognita perhibetur, quam in principia secundaria resolutionem dicimus, non autem in elementa, in quibus utilitatis aliquid nobis haud afferre posset; nec in omnia principia, sed in liquorem, quem Mercurium jure nūcupare debemus. Cum vero subiectum illud arte ligatum sit à natura, uti dictum, ideo longa nec non tædiosa nimis operatione indiget, priusquam in principium hoc artificiali retrogradatione ducatur; qui vero violenta nimis ac brevi illum obtinere tentarunt, maximè deceptos esse comperimus. Non negaverim tamen, posse & alium etiam inveniri modum, quo illud idem efficeretur, illud tamen adhuc nobis incognitum esse fatemur, sed unicunt tantum satis vulgarem, quo solo usi sunt, qui illum descripferunt.

Difficultates vero has cutiosius recensuisse haud imutile seu parum proficuum existimari velim. qui enim fieri aliter poterit, erroresque qui possunt occurrere, nisi praecognitos evitari, quod ipsem et re ipsa cogni-

tum habui: cum enim incautè tractata vide-
rim opera , laboris temporisque iactura se-
cuta est , quam quivis si monenti amico pa-
ruerit, effugere levi negotio va'ebit.

*De difficultate operationis phy-
sicochemica.*

D I S C E P T A T I O
OCTAVA.

HErmetici operis difficultates singu-
las,& universas curiosius inquirere in-
stitutinostri non est in præsentia , quas si
quis tamen optarit descriptas cognoscere,
adeat libellum doctissimi Viri Theobaldi
ab Hogelande in quo de difficultatibus Al-
chemiæ. Auctor enim ille licet arcanum
physicochemicum ex voto non sit adeptus,
nec artem integrum possederit, suis tamen il-
lis descriptis difficultatibus non minimum
juvare posse artis scrutatorem afferere au-
sim , si tamen judicio acutè adhibito scri-
ptum

ptum illud examinetur. quamobrem solum difficultates recensere voluimus in præsen-
tia, quæ praxim chemici magisterii potissi-
mum remorari queunt, ut hinc quid hoc ab
opere Alchæst conveniat, aut differat, quæ
principalis nostra fuit intentio ab initio, in-
telligeretur. Has vero nonnulli pauciores,
alii plures dixerè , ut videre est apud ipsos
Scriptores passim. Sunt enim qui ad duo-
decim capita, quidam ad pauciora, utpote
odo , septem, quatuor, vel tria redigunt.
Nos duobus hisce versiculis omnia suffici-
enter comprehendimus. Quæ Chymici
obscuro condunt velamine in arte. Sunt
color Igniculus, Pondus, Mas, Fæmina,
Tempus.

Et enim si pauciores difficultates enume-
remus nimium genericè , & consequenter
obscutius ars ipsa tractabitur, si plures su-
perfluæ , nec necessario emendicatae vide-
buntur. Nec præterit unico dumtaxat pun-
cto totum negotium occludi , hoc est re-
stain facere solutionem; materiam enim, in
quam solutionis opus explere oportet Arti-

sicem cognitu haud difficultem existimamus,
juxta illud etiam Augurelli.

*Quam invenire non usque adeo difficile
est.*

*Habilem sed reddere massam hic labor hoc
opus.*

**Nec habilem unquam reddere illam poteri-
mus, nisi omnia fuerint apprimè præcognita,
quæ superioribus versibus continentur. De
quibus omnibus singillatim hîc disceptabi-
mus in gratiam eorum, qui virtutis amore ac
naturalis philosophiæ studio tanguntur,
quos tamen præmonitos volumus per alia
nostra volumina satis superque iuvandos, ac
defectus, quibus hæc nostra forsitan jure no-
tari posse videbuntur, alibi supplendos pro-
mittimus.**

**Colore igitur non id solum, quod vulgo
communiter intelligi solet, accipias velim;
sed quicquid in operatione illa arcana re-
stitudinem felicemque successum præsigna-
re queat, juxta id, quod Geber tradidit ad-
monens, ut cum in operatione fuerit Atti-
fex**

fex debeat omnia signa, quæ in qualibet de-
 coctione: quæ unica, & multiplex est, diver-
 sores respectu apparent in mente sua recollige-
 re, & eorum causas investigare, sicut est in
 primis materiae nitor, seu mundities, quæ si
 quid vel minimum etiam commaculata vi-
 deatur, perditæ atque corruptæ operationis
 indicium est certissimum. Atque hinc Mo-
 rienus. Considera si potes rem puram, at-
 que mundissimam dirigere rectè: alioquin
 operatio tua inefficax reperietur, hanc in
 Codicillo Lullius corruptionem limosita-
 tem appellat; quæ si operi superemineat, ex-
 trinsecus demonstrat interiorem rei sub-
 stantiam, & proportionem esse depravatam,
 ac proinde nihil inde prosperi successus spe-
 rari: Sic quoque fulgor seu splendor, quem in
 qualibet operationis parte illucescere oportet.
 Nigredo itaque, quam intensissimam
 esse viriditatem alibi ostendimus, non om-
 nis requiritur, sed maximè luminosa; ideo-
 que piscium oculis assimilatur. Sic & albe-
 dinem non quamlibet, sed candidissimam;
 hoc est cum fulgore conjunctam. Rube-
 dinem pariter rutilantem, post ejectam scili-

cet corrumpentem superfluitatem per tri-
nam ablutionem delendam, tunc **Mentignea**
vocatur ab Henrico Currat Lipsiensi ob au-
cti copiam ignis, & materiæ instrumentis te-
nuissimæ spiritualitatem.

Tres autem principales adnotantur colo-
res ; quamvis plures etiam successivè con-
spiciantur , imò & tres hi prædicti plus mi-
nusue intensi sunt gradualiter à remissione
ad intensionem ultimam procedentes, quod
Morienus docuit ibi.

*Respicere nigrum completum , nigrum à sua
nigredine diminutum , omnemque nigredinem ,
hoc est principium in diminutione usque ad
finem complementi , atque omnem cursum
intermedium : & sic de aliis; quamvis ibi re-
ticeat albedinem , cuius loco citrinitatem
substituit, obscurioris doctrinæ gratia. To-
tum autem ex igne provenire dicimus: Cum
enim hic paulatim ac sensim augeatur in-
trinsecus , cave ne de extrinseco intelligas,
dum inter elementa miscetur , unitur , atque
ligatur , necessario colorum varietatem pa-
rit , illosque sensim intendendo auget: ordi-
natè igitur procedat necesse est , ut post ul-
timum*

timum nigredinis punctum primo obscura
quædam albedo sese dat in conspectum,
postquam flavedo cum viridate alternatim
simulque resplendens , quas tandem candor
ultimò adveniens extinguit : post hunc ter-
tiò flavedo quasi aurora solis prænuntia
splendentem rubedinem præit, quæ si prius
manifestetur , caloris excessum præsignat
operisque irreparabilem destructionem.

De igne quamplurima dicenda forent: ex
hoc enim potissimum operis emendatio,
vel destruētio pendet , quinimò nonnulli
sunt , qui existiment totum lapidis regimen
in ignis moderamine consistere, qui non so-
lum per gradus , sed per puncta dirigendus
est, quinimò si cætera omnia integrè cogno-
scantur , ignis verò modus ignoretur, opta-
tum finem assequi erit impossibile.

Hunc autem summopere occultatum
voluere Philosophi , ne arcanum, quod illo
cognito facillimum fore omnibus, indistin-
ctè prostitueretur , nec satis est illum debi-
lem esse, sed artificio quodam ita modera-
ri, ne materia , quæ maximè labilis est , &
imbecillis detrimenti quid pateretur. Qua-

re totis viribus enitendum in ignis tempe-
 rie : nihil autem refert an de extrinseco, vel
 intrinseco distinctio hic afferatur. Cum
 enim intrinsecus, qui est pars essentialis mi-
 sti, ex extrinseco augmentum sumat, non
 solum virtualiter, sed substantialiter ab ex-
 trinseco procedit intrinsecus, qui cum debe-
 at elementis cœteris couniri, cum hæc non
 dum fixa sint ac ligata, vehementem ignem
 seu impetuosum ac repentinum pati mini-
 mè possent. In quo videtur errasse Comes
 Bernardus Trevirensis, qui quamvis practi-
 cè artem ad amissim calleret, theoricales ra-
 tiones tamen non videtur æquali acumine
 penetrasse. Non est, ait ipse, ignis substan-
 tia materiae, ut volunt Aros, & Empedocles,
 qui tamen opus augmentat; alioquin seque-
 retur materiam de die in diem magis pon-
 derare, quod est erroneum, hæc ille. In
 quibus alios repræhendens pro veritate er-
 rorem substituit, ut latius alibi à nobis de-
 monstratum est. Animalia siquidem, & Ve-
 getabilia ab initio generationis augmen-
 tum sumunt exalimento usque ad termi-
 num perfectionis præter ova, & vegetantia
 quæ-

quædam, quæ sufficientem materiam usque ad aliquem gradum augmenti habent in se, ipsis. At metallis post primam compositionem nulla sit additio materiae, sed vis seminis à primordiis in suscepta primitus materia totum suum compleat opus usque in finem; ignem nihilominus jugiter, & paulatim immittit, quo usque elementa per ipsum ita attenuentur atque plasmentur, ut admissionem perfectam, ad quam vis seminis naturaliter tendit, perfectè uniantur. Cum vero ignis spiritualis sit substantiæ, nequit secum molem vel pondus adducere : ipse igitur Comes cum quibusdam aliis opinatus est, ignem in subiecto à primordiis inesse, aotri, nec cæteris elementis dominari, nisi ab extrinseco excitetur, quod est inintelligibile : quomodo enim ignis inter elementa nondum ligata reperietur, suo usque effectus non edet ? vel quomodo ignis extrinsecus, si compositionem haud ingrediatur, perfectionem inducit ; Iam autem liquidò probatum est, in orthophysicis calorem, & ignem substantialiter non differre, sed gradu

folum, & quantitate. Ignis igitur ita dirigendus, ut humiditas non minuatur, nec seminalis virtus perturbetur, quod Geber monuit, cum inquit. Nihil materiae addendum, nec etiam minuendum, quo usque naturae arriserit, quod superfluum fuerit eiicere.

Cum autem ignis facile chemicum subiectum nisi artificialiter directus extermineare queat, ipsius vis per aquam non minori artificio ponderatam obtunditur, quare pondus est in toto operis cursu summo perenotandum, ne superfluus humor, vel nimiria siccitas subiectum corrumpendo destruat, ut ait Moscus in Turba. Si enim humiditas superabundet, fiet pelagus conturbationis, ut ipse ait; Si vero ignis prævaleat, comburetur in favillam, atque id est, quod operationem illam difficillimam reddit. Pondus enim illud non ut Rudiores existimant, penes corporeitatem materiae intelligendum est, sed mensuræ duntaxatione, cuncta siquidem pondere, numero, ac mensura naturaliter perfici est in

in confessio , sine quibus nihil recti poterit institui : Ars enim æmula naturæ ac pedis- sequa , ne minimum quid ab illa unquam deflectere debet, alioquin in casum laborabitur : atque hinc totum fere pendet arca- num , quod si recte examinetur , aliud non esse cognoscetur , nisi ignem per Aquam commensurando moderari ad finale com- plementum. Ad ignem quoque pertinent vas : fornax, materia ex qua ignis, quæ non difficilè cuiuis patere possunt.

Mas , & Fœmina multipliciter intelligi potest, materiam vocat Bernardus Comes, & alii , quæ cum suo vasi naturaliter sit indi- ta , hinc vasis nomine nonnullis indigitatur, juxta versiculum.

Vas , Fornax , Ignis , Pondus , cum tempore latent.

Per fornacem vero colores , utpotè qui per ignem in convenienti fornace accensum ex- citantur. Vasis autem nomine Marem, Fœminamque significavit. At Mas mul- tipliciter dicitur. Virtus enim activa Ma- ris nomen meretur ; sicut passiva fœmi- nae. At id hic non est principaliter intel-

ligendum, utilius, occultiusque mysterium latitat, quod clare descripsit Adrianus à Minsicht in Testamento, cum de materia prædicta canit ita

*Hanc ergo ignotam mundo, mersamque te-
nebris*

*Hactenus incultam, sterilem, & sine honore
iacentem,*

*Aspirante Deo, nostri illustrabit abundè
Lux Testamenti, fructusque ostendet amoe-
nos.*

*Cujus ut indigitem proprium Tibi denique
nomen,*

*Scito quod antiqui facie sit filia Vatis
Calabantis, MILVI simul ortarapacis in
ORTV*

*Oreis, cuius ego chimica quoque natus in
arte,*

*Tempore quo mechum capit cum conjugé
Mariem*

*Malciper ignipotens, Dis exhibuitque vi-
dendos.*

*Tu si hujus nostra roseumque, gravemque
cruorem*

Virgi-

*Virginis, humoremque potes si demere fecum
Aliis & niveum. Tibi Regis parva corona
est.*

*Candida nam croccos circumfluit unda Vi-
tellos.*

In quibus dum asserit materiam oriri in
ORTU MILVI. quæ duo verba anagram-
maticè vitriolum sonant, nolim existimes
vulgi vitriolum auctorem intellexisse, non
enim verbo tenuis interpretanda sunt, sed
penes similitudinem, & analogiam. Quem-
admodum in carminibus Sybillinis à Carda-
no ex Græco interpretatis: in quibus ut ait
Senior sera est intra seram. Non enim Ar-
senicon, ut carmina voluisse videntur, insi-
nuare voluit Sybilla, sed materiam philofo-
phicam; quæ ratione albedinis, volatilitatis,
extractionis ex superfluis, aliarumque simi-
lium proprietatum ac virtutum Arsenicon
mysticè poterat appellari: ita quoque de Vi-
triolo; quod alii viridem Leonem dicunt, seu
aliis nominibus à viriditate mutuatis expri-
munt. Nisi enim viriditas sese mani-
festet in operatione, manifestum erro-
ris est indicium. Sicut è contra si

hæc

hæc ex Saturni circumacta sphæra se prodat,
 Luciferæ Veneris lumen tibi propitium ad-
 desse , atque hinc corniculatæ quoque Dia-
 næ candorem ad futurum prænuntiat. Per
 Marem ergo licet tum spiritualis Vir , tum
 corporeus solaris recte possit intelligi , non
 tamen ex eiusmodi , quamvis recta intelli-
 gentia declaratur arcana prædictum unde
 regia corona paratur ; sed si Martem ac Ve-
 nerem seu roseum cruentum , & gravem , vel
 humorem siccum , niveumque in Deorum ,
 hoc est sapientum , conspectum tradideris.
 Candida tunc enim fœmella per undam
 prænotata legitimo suo Viro , vitelli nomine
 insignito , stabiliter copulabitur , sibilesque
 procreabitur admirabilis parentibus longè
 potentior.

Tempus denique ultimum est , ex quo
 philosophicæ operationis difficultas exur-
 git. non enim in loco convenire videntur
 Scriptores : cum tamen in rei veritate omni-
 mode consentiant , cum non unico respectu
 diversum perhibeatur. - Quamobrem per
 horam perdurare afferunt laborem , vel per
 duas , vel per diem , & tres dies , per septem
 dies ,

dies , seu hebdomadam , & per tres hebdomadas , per tres menses ; per septem , & novem , per annum , & tres menses , aliisque modis etiam tempus explicari poterit . quod Comes Bernardus per verba illa insinuavit . *Terrena potentia super sibi resistens , pro resistentia dilata est actio agentis in ista materia . hoc est actio seminis prolongatur eò usque , quo usque terrea fæculentia suam amittat potestatem supra foemineam rofam humitatem prædictam , sine qua , qui opus perficere tentat , operam certissimè ludet .*

Quod si prædicta intimius scrutentur , apparebit omnia prædicta ita invicem esse colligata , ut non nisi res unica jure optimo dici queant . Hinc est quod Comes prædictus asserat , verba à me clarissimè enucleata ponderum fundamenta continere : cum tamen nil nisi tempus præsignet ; quia tempus pondere ignorato , atque pondus ignorato tempore necessario ignorabitur . Nec pondus , & tempus sine caloribus , & signis : nec ista sine ignis completè nosci poterunt . Sine quibus omnibus veram etiam physico- chemi-

chemicam materiam omnibus philosophantibus unicè concupitam adipisci erit prorsus impossibile.

In quo sit posita difficultas volatilitatis Salis Alchali præsertim ex Tartaro.

DISCEPTATIO NONA.

Alchaliana nuncupant communiter Chemici salia ex cineribus extracta , quæ cum sint per ignem quasi criterio probata ab ipso amplius fugere levi negotio, & cōsequenter volatilia fieri nequeunt : quod si in salis natura corporea permaneant ob crassitatem à terrestreitate pendentem , corpora soluere non valebunt, quæ non nisi spirituali subtilitate sese penetrari sinunt. quod si intuitatem hanc non traherentur, corporea medicamina soluenda ac ipsum quoque sal interiora viscerum adire minimè possent: & hinc arcanorum proprietatem nec possidebunt , nec ægritudinum latibula petent , nec

nec occasio[n]ales causas crassas obstructio[n]um fontes, & origines dissoluere, extenuare, ac abstergere sanitatemque inducere posse[n]t. Quare necesse est salia in spiritualem naturam adducere, quæ tum ob convenientiam, ac similitudinem cum corporibus salis naturam redolentibus; tum etiam ob maiorem consistentiam, quam habent duo reliqua principia, Mercuriale, scilicet, ac sulphureum, patet ad prædictum munus obeundum longe aptiora, potentiora, ac velociora quam illa, quod quamvis omnibus commune sit Alchalibus, ex Tartari tamen cineribus sali extracto, & à terrea fœculenta sæpius purificato, & in crystallinam serenitatem deducto, vim efficaciorem inhærente experimento compertum est. quare hunc potissimum Chimico-Medici professores pluribus ac indefessis laboribus nocturna diurnaque meditatione scrutati sunt, nec tamen arcanum illud assequi potuere: difficultatibus enim plenissimum repertum est negotium.

Per ignem enim levem non movetur. Per vehementem liquefit. Per vehementissimum

mum totaliter exterminatur in vase potissimum aperto : in clauso siquidem ipsum penetrando frangit, ac disrumpit. Quod si quid addatur , illud in vitrum liquefacit. Si verò quod additur in vitrum abire nequeat, tunc fit, ut in sale per additum illud aperio, & discontinuato cum igni pateat aditus facilior in extermium dissoluatur ; & si quid inde deducitur , aqua est elementalis insipida, nullius virtutis ad id, quod intenditur. Cum ergo de difficultatibus liquoris Alchaeſt atque lapidis physicochemici, quæ duo præsertim intentionis nostræ scopum præfiximus ab initio , fusius forsan quam par sit disceptaverimus ; non incongruum nobis visum est , si de huius quoque ſalis, ac ſimilium Alchaliūm volatilitate obtinenda aliquid in medium adduceremus ; ex his enim ſic propositis ac studiosis ante oculos obiectis , facilius eslet ab inquirentibus cognosci , ac inveniri : In qualibet enim re peragenda non minimum utilitatis omnibus accessurum credimus , si uti alias monuimus, difficultates singulæ fuerint ante quam manus adhibeantur, præcognitæ, atque

que 'diligentissimo' examine ventilatae; & hic præsertim, ubi non ex parte materiæ, nec ex multiplici capite sicut alioquin cœnire prædiximus, in duobus prædictis operibus; Si enim ignem oportunum iudicio Artifici non difficulter ex præmonitione in dagandum cognoueris, cœtera non admodum difficultia erunt, vasis furni, ac temporis quoq; non ratio negligenda est. hoc quoque in operantium gratiam addere non pigebit, quod videlicet facilior operatio sequetur, si quid addatur prædictas difficultates prohibens, quod multiplex est Vulcani potentiam eludens, breviori siquidem tempore & res quæsita obtinebitur.

In hac vero salis conversione in volatilem substantiam fit quædam transmutatio non interioris seminalis spiritualisve agentis, sed corporeæ molis per ignis violentiam interiori spiritu invito, commutantem ac in aliam mercurialem formam convertentem. quod quidem altero ex his duobus modis evenire necesse est. Vel quia salino corpore aqua superadditur, non extrinsecè, & superficia-

perficiliter, sed intrinsecè in primordialem
 mistionem; seu in misti primæua constituti-
 va, & hoc uidetur impossibile: non enim arti
 conceditur, ut per ignem possit aliquid ad
 primordialia constitutiva superaddi, ut cum
 illis unum quid permanenter efficiatur; alio-
 quin & de novo possent mistiones, & species
 ab arte per ignem produci. quod tamen ex-
 perimento cognoscitur, & ratione impossibi-
 le esse, ideoque Artifex nullus potis est aut
 erit, speciem aliquam ex ipsis elementis
 gignere, nec consequenter speciem unam in
 aliam transmutare, cum arti non concedatur
 dominium super substantias spirituales, un-
 de seminales virtutes pendent, & rerum di-
 versæ species emergunt. . Cum vero in pro-
 iectione lapidis philosophici super imper-
 fecta metalla sit illorum transmutatio, hoc
 inde accedit, quod in ipso lapide sit virtus
 spiritualis auri valde intensa, per ignem in-
 trinsecum auctum efficacior ac potentior
 reddita tot gradibus, quod possunt inde
 partes quantitati lapidis respondentes
 commutari. lapis ergo tunc gerit vicem
 feminis, corpus inferiorum metallorum
sibi

sibi disponens, & in illud auri proprietates omnes pariens. Ignis vero externus loco instrumenti est non solum lapidem ipsum, sed corpus metallicum liquefaciens, aperiens, & ad lapidis penetrationem subiectum disponens.

Salinosum ergo corpus per aquæ additio-
nem in volatilem formam redigi minimè
poterit. altera ita queratione incedere oportet,
ut videlicet ab ipso terræ non nihil de-
matur, ut residuum humidius seu aquosius
redditum mercurialis proprietatis naturam
adipiscatur, quod quidem arti permittitur:
ipsa enim naturæ subiecta saltem plurima
destruere, non construere potest. Hæc igitur
transmutatio, destructio quædam est ab
arte patrata per ignis violentiam, ut instru-
mentum; ideoque data opportunitate alte-
rius apti corporis seminalis spiritus interior,
qui ex corpore salino in mercuriale mi-
stum violenter deductus est, facile amissam
corporeitatem reassumit ex alieno, quod ex
proprio prius perdiderat, quare simpli-
cia plurima soluendo ipse re-
coagulatur.

*De virtutibus, & proprietati-
bus Alchaeſt.*

DISCEPTATIO
DECIMA.

I Am' ſæpius prænominati liquoris Alcha-
eſt vires ſunt inquirendæ, quarum princi-
palis, & potiſſima eſt , quod ſit universale
quodam ſoluens, quo mixta cun&a lique-
ſcunt: vel in diuersas ſubſtantias diſſecantur:
vel in aliam à priore proprietatem commu-
tentur: nec video qua ratione dicatur , cun-
cta in primam materiam reſolvere ſeruata
ſeminum potestate. Dupliciter enim hic
erratum videtur , tum quia non in primam
materiam redigere aliiquid, nedum omnia,
experimendo cognoscitur : tum quia ſemi-
num potestas nullo modo ſuperſtes eſſe po-
terit in eo, quod per illud ſoluens fuerit exa-
gitatum.

Et

Et primum quidem demonstrare non est difficile: sive enim per materiam primam aquam ipsam intelligas elementalem : sive quod Chemistæ doctiores intellexere, neutrum hic liquor efficit , licet enim quædam resolvat secundum partem in aquam prædictam , nunquam tamen totum mistum ita dissecare potest. In liquidis enim ut vino, succis ac similibus cum pars maxima aquæ non ita uniformiter ligata interius cum aliis elementis videatur , non mirum erit, si per hunc tenuissimum soluens dividatur à Reliquis. Hoc enim fieri etiam videmus per simplicem , & vulgarem destillationem per quam in aquam prorsus insipidam , & inutilēm simplicia convertuntur destillanda: non propterea dicendum erit illa, in primam materiam esse conversa: quod enim residuum est, nunquam totum in talem aquam convertere, nec naturaliter , nec artificialiter possibile erit: Si enim mixtum ex tribus constat primis, aere, aqua , & terra , ignem enim, quem merè spiritum alibi monstrauimus, h̄c non ponimus necesse est & in illa non in aquam solam quicquid soluitur abire ; nisi

D

dica-

dicatur, cuncta mixta nil esse aliud nisi merè aquam, quam sententiam explodimus abunde in nostris Orthophysicis. quod si per primam materiam intelligamus, ut philosophantium turba communiter intelligit, materia scilicet, unde natura primitus operationis mixti specificas inchoat, ut sunt spermata in Animantibus, germina in plantis & philosophicus ille mercurius à particularibus accidentibus, & superfluitatibus in universalem quandam quasi naturam, unde metalla cuncta originem naturaliter sumposse credidere: vel artificialiter, ut in opere physicochemico ad solarem influentiam posterius suscipiendam, liquidò patet experientia, nihil per talēm liquorem in hanc primam materiam progredi: post eius siquidem actionem supermixta virtus seminalis germinativa extinguitur; quia mixtionis proportio in tali partium substantiali divisione necatur.

Et hinc patet similiter secundum, quod diximus, nequaquam scilicet superstitem, & incorruptam remanere posse facultatem seminalē post eiusmodi soluentis actionem.

nem. Per hanc enim mista singula in diversas substantias , si subiectorum natura id perferat, dissecantur, quod in cunctis evenire mistis constat, & in animalibus quidem, & plantis notissimum, ut cum eorum seminalis potestas organis, & instrumentis sit addita post prædicti soluentis actionem , per quam illa in dissimiles homogeneas substancias vertuntur, qua ratione incorrupta superesse valebit? In metallis verò, atque similibus ex mineris depromptis corporibus, quamvis instrumenta ad seminalem vim edendam haud exigantur, mistio nihilominus congrua, aptaque requiritur, quam per talem liquorem susque deinceps inverti non est dubitandum, quinimò metallorum nonnulla, uti Mercurius, ita post soluentis prædicti ab ipso extractionem, sic à naturali statu elongatur, ut proprietates à prioribus longè dissimiles nanciscatur. Figitur enim ita, ut in plumbi examine non exterminetur. Aurum vero in subtilem vaporem, ut Paracelsus loquitur, ex prædicto Alchaeſt redigitur. Venus itidem in vitriolum versa in duas dividitur substantias , quarum

altera oleosa , sive sulphurea , quæ Veneris
tinctura est , altera Veneris corpus in albe-
dinem versus , quod nunquam virescet am-
plius . quomodo ergo poterit in prædictis
metallis , seu ipsorum partibus seminalis vir-
tus incorrupta permanere , cum sic à priori
sua natura immutata reperiantur ?

Quamobrem rectius asseremus , liquo-
rem illum corpus omne in tenuiorem sub-
stantiam , vel substantias reducere cum me-
dica facultate à seminali sive specifica pro-
prietate defluente ; medica siquidem vis ,
quæ prius interius latitabat , corpore crassio-
ri prohibita ne vires medicas exereret ; post-
quam per tenuissimum illum liquorem fue-
rit attenuata , tunc se se dat in conspectum ,
seu in actum venit potestas , quæ potentiali-
ter solum antea illis inhærebat . Hujusmo-
di vero medica facultas non ex vi seminis tali
speciei congruente , sed potius ex tenuitate ,
& similitudine causæ morbificæ dissoluendæ ,
quæ sola causa est morborum ferè om-
nium , ac proinde per prædictum soluens
plurima parantur arcana eandem virtutem
obtinentia , quamquam ex diuersis simplici-
cibus

cibus desumpta specie differentibus, quamvis nonnulla huic magis quam alteri crasso corpori convenientiam in morbis comprehendantur. Si enim materia illa sulphurea extiterit, nulli dubium est, sulphureum arcanum illi intimius adoptari, penetrari, & per illud dissolui, natura expulsionem satagente. & si mercurialis, vel salinosa, pari ratione à similibus illud idem effici; quod si arcanum naturam universalem possederit, universalē quamdam vim habebit ad omnes cuiuscumque generis ægritudinum causas soluendas, incidendas, & ad expulsionem disponendam. ita est præcipitus diaphoreticus Paracelsi. Hic enim mercurius est sulphureus, ac salineus. Simili quoque ratione philosophicus lapis ad ægritudines universas mirum in modum conducit: nec existimandum est, similia medicamenta nostram mistionem ingredi, primisque nostris constitutivis aggregari, & couniri; hoc enim fieri nequit absque elementorum dissolutione, quæ si semel contingeret, jam spiritus Architectonicus seminalis per dissolutionem euanius nequirit iterum sibi

corpora dissoluta reparare , cum præsertim instrumenta , & organa perierint. In dissolutione quoque sanguinis , & partium morbosa poterunt etiam naturæ auxiliari per suam simplicissimam puritatem , atque stabilem fixionem, heterogeneas impuritates sibi dissimiles relinquendo, purioribus, ac simplicioribus se se uniendo, atque suppetias quadantenus ferendo , cum simile simili gaudeat , eique amicabilius adhæreat , juxta Democriti ab Hostene Magistro receptam sententiam ; de his tamen fusius, & apertius in nostris orthomedicorum disputationibus. Per prædictum ergo soluens cuncta in rerum natura mixta ita disponuntur, attenuantur , & ad actionem in humanum corpus exercendam promoventur. Hinc non solum prædictus Præcipitatus. Arcanum corallinum. Mercurius vitæ verus. Elixir proprietatis. Salia , liquores & olea. Aliaque ferè innumera pharmaca longe, quam sint vulgaria efficaciora præparantur ; sed & Arcanum ad lapidem vesicæ dissoluendum , ex lapide paucis intellecto, licet ab Helmontio sat clare insinuato , & ab ipso quem-

quemadmodum à Paracelso, ludi nomine
nuncupato.

Quinimò unusquisque per se ipsum po-
terit, & alia inde ad libitum parare: Nec vi-
deri etiam impossibile debet, nonnulla posse
sic præparari, præsertim quæ ex vegetanti-
um familia deponuntur, ut in alimenti si-
militudinem primis constitutiuis, si non in-
timè, proximè tamen adjungantur.

Pariterque plurima ex metallicis, & me-
tallis desumpta, si per viscera ad alimento-
rum normam redigiqueant, viscerumque
obedientiæ subjici: Sicut etiam & virulenta
quædam inde parari posse non dubito, quod
causa forsitan etiam extitit, quare prædicti
Auctores præfati liquoris claram descri-
ptionem reticere voluerint: ne scilicet ansa
facilior scelestis hominibus delinquendi
præbeatur.

Cœteræ prædicti liquoris proprietates
consultò nobis omittendæ visæ sunt; tum
quia plurimæ per auctorem sæpius nomi-
natum satis apertè describuntur; tum
quia per se ipsum quisque poterit; Si eius
posseſſ-

possessionem assequutus fuerit, experimen-
to indagare. Id tamen enixè præcaveren-
tatur, ne casuali errore tanti thesauri lon-
go tempore ac labore quæsiti amissionem
incurrat, quod facile evenire poterit, licet
ex scipso incorruptibilis quodammodo ap-
pareat. Id tamen prætereundum haud vi-
detur, quod huic liquori peculiari ratione
convenit: quod omnia ferè mista disponat;
illis vero non couniatur, sed post solutionem
ab illis integrè separetur; quamvis auro non-
nihil illius videatur adnecti, cum illud in va-
porem soluendo redigit, ea penitus ratione,
qua solet argento in calcem per separatio-
nis aquam redacto, & cum triplo salis armo-
niaci optimè commisto, oleum Tartari ad-
jugo, quinquies vel pluries repetitis imbibi-
tionibus, ad ignem levem exiccationibus ar-
gentum sublimatur, & redditur ita volatile,
ac fluidum, ut rudioribus non solum, sed pe-
ritioribus etiam argentum viuum verū exi-
stimatum fuerit, cum plurimas ipsius pro-
prietates ex hac operatione obtinuisse repe-
riatur; tametsi valdè hic hallucinentur: ar-
gentum quidem viuum appetet, at minimè
nisi

nisi spurium ac sophisticum erit. facile si quidem in argentum, ut prius redit, si argento alteri ad ignem liquefacto superiniiciatur, menstruum, per quod in liquiditate tenebantur, alias non facilè separabile sic euolat, & priorem amissam formam recuperat, quod argento vivo comuni nulla prorsus ratione accidit: nunquam enim in argentum nisi adulterinum commutari possibile erit absque lapidis argentifaci administratione, quod & auro contingit: cum per adiuncta in formam olei punicei volatilis redigitur. quod Helmontius docet tract. meteor. prognosticam. §. 5.

Quamobrem hic liquor nulli mixto associari valet, quamvis ob suam incredibilem tenuitatem cuncta intimè peruadat ea ratione, qua ignis; & hinc ignis aqueus, seu aqua ignea dici solet. ut hinc nonnulli, tametsi falso, crediderint, lapidem physicochemicum inde confici posse, cum similes appellations lapidi huic potissimum à Philosophis tributas viderint, ignis tamen dum cuncta ferè mixta dissoluit, illorum quamplurimum aperiendo dissipat: quicquid enim sulphure-

um est, urit ; quod mercuriale vero est, in
vaporem dispergit, nihilque residuum su-
pereft præter sal, seu salis naturam habens.
At liquor Alchaest quicquid soluit, conser-
vat, & pro varicitate subjectorum in diver-
fos liquores localiter etiam separat, ut quod
fulphureum adest, & oleosum superiorum
partem: quod mercuriale inferiorem : quod
gravius vero fuerit, infimam partem occu-
pet, foluente ipso supra vel infra residente.

De Virtutibus Lapidis.

DISCEPTATIO DECIMA PRIMA.

PHilosophici lapidis vires, ac usus univer-
sus, & singulos recensere instituti nostri
propositum in hac præsent tractatione non
est, sed solummodo eorum non nihil tange-
re, quantum scilicet ad ipsius Alchaest, &
lapidis physici convenientias ac differentias
cognoscendas sat visum fuerit. Hunc enim
ab initio menti scopum præfiximus, atque
interim

interim simul ingenuis probisque laborantibus Viris lucem clariorem ex nostris experimentis depromptam præbere ; quitan men lapidis eiusdem facultates accuratius enumeratas callere exoptarit , ex Lullio , ex Auroraë consurgentis Auctore , quam Divo Thomæ nonnulli adscribunt , ex Henrici Khunrath Lipsiensis amphitheatro , aliisque Sophorum scriptis petere poterit . Nos quoque alibi nostris elucubrationibus eadem pro ingenii nostri tenuitate abundè dedimus.

Omnium primam efficaciam plerique , nec immerito , sapientiam prædicant : sed qui nam fiat , ut ex lapide , lapidisue præparatio ne sapientiam haurire valeamus , nonnullis nec infimæ classis Doctoribus visum est incongruum , minimèque credendum , existimantibus jactantiæ potius quam veritatis pruritu similes ! nugas sophos effutisse . Nemo tamen in animum sibi falsam hanc opinionem serpere sinat , cum nihil inde proficiat alia jactantibus professoribus oriatur .

Quod si artis arcana euulgare fas esset , quisq; luce clarus hoc idē fateri cogeretur ,

speculum enim est, quo nedium creata cuncta, sed & Dei quoque invisibilia (quantum quidem mortalibus permisum est) conspicuntur: hinc Petrus Ioan. Faber nostri Æui, chemicæ que artis lumen præclarissimum in suo Alchemista Christiano, quem ex auctore Aquarii Sapientum Musei Hermetici est imitatus, Christianæ religionis mysteria per veræ chemiæ magisterium non difficile demonstrari posse edifferit. Nec id quidem immerito, cum enim cuncta, humana, divinaque ex uno fonte profluxerint, mutuo quodam nexu inuicem quasi catena constricta videntur, ut ex uno cognito reliqua cognoscantur. quod quamvis omnibus æquè conveniat, lapidis tamen artificio in primis jure tribuendum est; cum enim omnia, quæ nobis conspicienda prostant, vel elementa sint, vel ex his composita, illa sanè nec producta, nec producenda cognosci queunt: cum vero cognitio rerum non ante vel post, sed in ipso productionis modo, & actu consistat: patet inde sapientiam nobis oriri minimè posse: hæc vero animalia sunt vegetantia, & metallica. Animalium, atque

que Vegetantium generationes, ac generationis modos in ipsis instrumentorum clavistris occultos, reconditos, minimeque vestigabiles quis non fatebitur? Quisue penitiores terræ finus percurrere, ac metallorum mistiones oculis subiectas nobisque postea enucleandas observare potuit unquam? At in chemico artificio naturæ opus ita se se nobis peruum, oculisque intundum præbet, ut metallorum principia, generationem, ac generationis progressum, modum, terminum cum omnibus circumstantiis ad amissim observare Sophus queat. Cumque cætera omnia mutuam proportionem, ac similitudinem habeant invicem, facile inde coniectari cuncta decet: quin immò scientiæ peritiæque pene omnes inde apertissimè patefiūt, ut videre est in præfatione Monadis Geroglificæ doctissimi Viri Ioannis Dee Londinensis. In illo artis progres-
su siderū cursus, virtutes, influentiæ, elemen-
torū mistiones, ignis actiones, ac universa alioquin occulta naturæ vis quasi scenico the-
atro represētari videtur. De hoc intelligi de-
bet, q[uod] de Archimedici nō Archimedis iphæ-

rula vitrea cecinit Claudio nus in carmine.

*Iupiter in parvo cū cerneret aether auro &c.
In Sophorum enim vitro ea veraciter cognoscuntur, quæ alia probabili ratione contigisse nequit intelligi.*

De metallorum transmutationibus non est, quod multa dicantur: tum quia jam notius est quam ut verbis ea res indigere videatur: tum quia singulare hoc est huic subiecto, ut metalla vario modo transmutando non quidem falsò atque sophisticè, sed verè ac realiter commutet, quod liquori Alchae est non conceditur: per hunc enim inverti aliquatenus metalla videntur: at verè invicem transmutari nullatenus; cum ad hoc non sit satis metalla dissoluere, vel in diversas substantias diserpere, sed insuper specificas naturas, & proprietates superaddere oportet, quod sine seminali potentia, cui tantum illud efficere permittitur, superaddere omnino est impossibile.

Quid tandem in medicina præstare valeat philosophorum arcanum, apud omnes artis peritos est in confesso. Si etenim metalla cuncta penetrare valet, quidni humani corporis

corporis excrementa valde minori crassitie duritieque prædita penetrare poterit? atque hinc viscerum , cutisque totius obstructos meatus reserare, ac emundare valebit? Et id quidem dosi perminima, tum ob sui incredibilem tenuitatē, tum etiam ob naturæ insitum ignem multiplicatum , substantiæque indissipabilem fixitatem, quaꝝ tamen ob humiditatis radicalis copiam facilè in actionē duci possit levis cuiuscumque caloris ministerio , nec id per se solum exequi potis est, sed & reliquamistorum genera ad hoc idem præstandum longè reddit efficaciora, quam fuerint in propria natura. Id autē efficit citoſſimè, mirabilem enim actionem possidet, nec imerito subiectum plenum admirabilitatis perhibetur , mi aculorum naturalium, non divinorum effector potentissimus.

De Salis Tartari Virtutibus.

DISC E P T A T I O DECIMA SECUNDA.

Quid Sal Tartari, sive aliud consimile præstare valeat in metallis minime venit exami-

examinandum ; cum illud momenti quid es-
se nequeat : quamquam nonnulli , sed perpe-
ram , aliquid magni illo efficere se posse spe-
rarunt quantum ad transmutationem , cum
nihil actionem aliquam habere possit in id ,
ad cuius interiores misionis substantias
pertingere nequit . quare extrinsecus tan-
tum percurrentes illorum maculas absterge-
re , colores accidentales immutare , corpus
aliquatenus à priori statu leviter alterare , &
id genus consimile parere quidem potest ,
atqui seminalem virtutem sic transmutari
nullatenus est possibile ; quinimmò nec in
suo fixitatis ordine aliquid ad medicinæ
opera nisi valde debiliter conducere experi-
entia cognitum est : si enim valido igni resi-
stere sat potenter videtur , qua ratione ab hu-
mani corporis imbecillo superari , & ad a-
ctum , ut Medici loquuntur , deduci valebit ?
Alimenti quidem vicem subire , ciborum
que normam gerere posse concedimus : at
medicamenti vim potentiorē ac velocio-
rem exercere non poterit . hocenim vince-
re , illud vinci oportet , hoc via modoque
cōsuetō , illud insuetō procedit : quod nifiat ,
impos-

impossibile quoque erit ægritudines depellere: quod si in spiritum, & volatilitatem du-
catur, non tantum per se, sed etiam per plu-
rima sibi solutione connexa varios morbos
curare, ac morborum causas elimare pote-
rit, non quod sic exoticam qualitatem ab
illis sit adeptum, sed quod substantiam quo-
que per eiusmodi spiritum dissolutam ac sibi
counitam in penitiores viscerum ductus
trahere valeat. quod si metallicum id fue-
rit, dummodo non sit aurum, quod ob sui
fortissimam mistionem à nullare, præter
unicam jam dictam illi simillimam disolui-
tur, impossibile non est aliquid corporeæ
substantiæ abradi, atque ita disponi, ut in-
terior ignis cum viscerum insita virtute il-
lud evincere facile possit: nec requiritur mi-
stionis profunda penetratio, nec ultima dis-
solutio ad morbos occultiores abigendos,
immò nec ad nutritionem, cum sæpè vide-
antur proprietates alimenti in aliti substan-
tia sensibiliter immutatas permanere; quod
qua ratione contingat in orthophysicorum
tractatu demonstratum est sufficienter.

In hoc autem à liquore Alchæst spiritus
hic

hic salis distare compertus est. quod ille solutis non commisceatur licet penitiores rerum sinus ac recessus permeat. At sal hoc volatile, Alchaliūm, nec tam profunde pertingat, nec à solutis facilè separabile: non aquæ tamen omnia dissoluit, sed pro majori, vel minori mistorum cum illo similitudine, ac pro fortiori, vel debiliōri mistione diversa ratione operatur.

Cum Acidis igitur ad glandularum sub intestinis in mesenterio existentium, venarum lactearum, ac Pancreatis infartus. Cum Amaris ad Hepatis. Cum salsis ad Renum crassiora excrementa dissoluenda proficuus hic spiritus invenitur. Ad Lienem vero, similiusque viscerum longe magis distantium, quam prædicta sospitibus viribus non pertinget immediatè, cum in tam longo itinere, vel sanguini commixtus hebescat, vel excrementis inhærens priusquam illuc perveniat, extra corpus cum illis expellatur. Hinc fit ut pluribus expellendis ægritudinibus efficax reperiatur, febribus præsertim, quæ ex sanguinis dissolutione ob nimiam ipsius rarefactionem ex cordis motu, cruo-
risque

risque circulatione impedita, ut plurimum proficiscuntur, quod tripliciter evenire poterit. Velix partibus corporis ductus comprehendentibus, ut in apostematibus: Velix excrementis sibimet ipsis copia vel crassitate, seu lentore vias ad consuetum exitum intercludentibus: Vel ipso sanguine crassefacto, vel nimis quam par sit quomodolibet rarefacto. Ex his enim omnibus sanguinis elementa dissoluuntur, & ignis, qui prius ligamine, ne sentiri posset, cohibeatur, liber redditus, viribus reparatis furens exardescit. Quod si obice deleto cruori via reddatur aperta, cuncta mitescunt, sanguis in ordinem redigitur, ac febrilis calor extinguitur. Hoc autem efficit sal volatile, dum suauitate velociter viscera permeat, obiecta impedimenta dissipat, atque dispergit. De quibus omnibus latius in orthomedicorum tractatu.

Pluribus consimiliter ægritudinibus depellendis aptissimum sal illud experiemur, dum viscera ad nutrimenti defecationem destinata peruria redduntur, & ab excretorum infarto repurgantur, ut fæces, quæ jugiter

jugiter per illa generantur , & ad consueta loca quasi cloacas expellentur, liberum , & expeditum transitum inveniant. Sic enim sanitatem amissam reparari posse constat.

*De Similitudine , & Convenien-
tia liquoris Alchaeſt cum Mercurio
Philosophorum , & quid sit in primam
materiam duci.*

DISCEPTATIO DECIMA TERTIA.

Dubitandum non est , quin subiectum , & materia prædictorum solventium ab initio , antequam quidquam ars super illa operetur , eadem omnino sit: at multum discriminis inter utrumque reperitur , si eorumdem processus attendimus , ut superioribus Disceptationibus sufficierter exposui- mus. Iam de similitudine , & convenien- tia amborum nobis hoc loco differendum est. Hic enim fuit præsentis nostri susce- pti la-

pti laboris ab initio finis principalis , ut sci-
licet plura , in quibus illa duo verè conveni-
ant , aut discrepant , apprimè cognoscantur ;
ut in posterum hīc errari , sicut hactenus
plerisque contigile sensimus , difficilimè
possit , quæ non solum in materia , in qua non
similitudo tantum , & convenientia , sed
identitas , uti dictum est , existit ; sed in opera-
tione similitudinem non identitatem inesse
præmonemus , cum inuicem è directo expo-
nantur : quoniam hæc artificialis est : illa na-
turalis . At in operandi modo talis inest
similitudo , ut facillimè decipi quisque etiam
non mediocriter intelligens possit : descri-
ptio enim unius ita alteri adequatae compe-
tit , ut vix discrimen internoscatur : siquidem
utrumque opus circa idem , ut dictum est ,
subiectum exercetur : utrumque similibus
loquendi formulis , ac nominibus indigi-
tatur , uti sunt illa : Spiritus , Ignis aqueus .
Aqua ignea . Universale soluens . & id ge-
nus alia : utrumque per ignem , utrumque
soluendo , atque coagulando : utrumque pa-
riter longum , ac tædiosum , investigatione
difficile : in utroque materia subiecta ad na-
turam

turam valde à priori diversam redigitur, in primo namque suo naturali statu, antequam quidquam ars in illam operetur, unicam solum habet naturalem propensionem, ad quam ab ipsamē natura, obstetricia solum artificis manu pervenire valet, sicut hoc idem in quibusuis naturæ subiectis observare licet: quodlibet enim pro varia specie ac virtute interna seminali ad suæ speciei conservationem, ac propagationem tendit, non alienæ: at per artem multipliciter, sed violenter, & extra naturæ suæ prædestinacionem protrahi potest, ut in grano tritici apparet: quod ex natura sua ad triticeam speciem multiplicandam inclinat; per artem tamen in varios, ac diversos usus violentia quadam perducitur. Cum ergo res ita se habeat, artifices tamen dum Hermetici lapidis magisterium occultare conantur, ita versatili loquutione utuntur, ut valde facilis negotio in varios sensus eorum intentio detorqueri valeat; in nullo tamen eiusmodi loquendi stylus aptius, & convenientius applicari potest, quam in confectione liquoris Alchæst, etiam si longissimè distent.

Præterea concordant ambo in virium suarum admirabilitate , utroque siquidem præparata subiecto, effectus demonstrantur maximè admirandi. Cum enim hoc , sicut & aliud, tenuissima præditum sit substantia, mistorum corpora intimè peruadit , illa in diversas substantias priori simpliciores , ac tenuiores discerpens, ad utiliores, perfectioresque usus , pro humanæ necessitatis indgentiis ; pluresque alias obtinent convenientias hic non enumerandas ; inter quas tam illa reticenda minimè videtur , quæ ad occultam ipsorum indagationem non parum conducit. Etenim in utroque magisterio quædam fit ad primam, ut aiunt , materiam reductio, in qua re id summopere adnotari velim , non solum per enarratum liquorem corpora in primam redigi materiam, uti monuimus, idest in varias , ac simpliciores substantias promistorum naturæ diversitate , quæ divisio, reductio putatur in materiam primam , sed quia substantiæ ipsæ redactæ fluentes conspiciuntur ; tametsi Mercurius vulgi ab illo figitur , hoc est in igne permanens redditur ; in qua re perspi-

perspicuum fit, substantias quasdam æquè ac
 Mercurium homogeneas in varias partes
 haud esse secabiles, uti aurum, aqua, arenae
 quædam species, & quædam alia naturæ
 eiusdem, quæ partium divisionem non ad-
 mittunt, quemadmodum illa sunt. quæ tam
 fortem mistionem seu simplicitatem non
 possident. Non tantum itaque corpora
 hæc liquore illo sic resoluuntur, sed ipsa pa-
 riter materia liquoris, dum præparatur, in
 primam retrahi materiam creditur, dum per
 magisterium artificiale solutionis, & coagu-
 lationis in aquam crassam diaphanam redi-
 gitur vulgari aquæ non absimilem, ex qua
 prædictus liquor corruptitur ac superatur,
 dum illum in aquam elementalem inutilem
 transmutat; tunc vero quædam ab ipso se-
 paratur pinguedinosa crassities, in qua igne-
 am suam ac solventem virtutem extitisse
 crediderim: nec mihi constat adhuc, quare
 transmutationem hanc reticuerit Helmon-
 tius, qui id tantum protulit, quod quamvis
 dictus liquor incorruptibilis penè videatur,
 à suo tamen compar in seruitutem reduca-
 catur, ac transmutatur, nec compar hoc re-
 velat,

velat, quod clementalis est aqua ex qua mihi
experimento innotuit liquorem corrupti.

Id autem maiori indagine, & adnotatio-
ne dignum admoneo, quod jam omnibus
auriferæ artis indagatoribus sum revelatu-
rus, quod in Hermetici secreti præparatio-
ne, omnium scriptorū consensu, necessaria
est similis in primam materiam reductio, si-
ne qua finem obtainere petitum, est penitus
impossibile, quæ non est in aquam diapha-
nam, qua cuncta mixta tamquam ex funda-
mentalī ac originali elementō constare fal-
sò putavit Helmontius, sed in substantiam
purissimam maximè homogeneam, volati-
lem, digestam, & opacam atque etiam innati
caloris plurimum habere dicimus, super-
fluitatibus, quibus in suo naturali statu sca-
tebat, inundatam; non quia sui loci defectu
ex accidenti fuerit infecta pueri leprosi si-
militudine, quod plures vel gravissimi Au-
tores voluisse videntur; sed ex vi seminis,
ut alibi apertius disputabitur, atque id re-
ductio in primam materiam dicitur, cum
existimaverint illam esse materiam metallo-
rum generationi propinquorem, in quare

misticæ occultationis exemplum occulere, alioquin, ut verba sonant, falsa iudicanda sunt; cum prædictum subiectum, ex quo prima extrahitur materia semen suum speciale, per naturam obtinuerit, quemadmodum in vegetantibus etiam idem innoteſcit: hæc enim in primam resoluuntur materiam, cum ad novam generationem per naturam ut efficientem, & per artem, ut ministrantem in eorum cultura germina sua proferunt; per hanc tamē generationem non in alienā tendunt sobolē, sed in propriā ac genuinam: ita pariter & in metallis; non enim ferrum, v g. ideo tale, quia vis spiritualis ab excremto suæ stationis prohibita fuerit à fine, quo destinabatur, sed quia illa talem sibi assumpsit elementalem massam ex qua, in qua, & per quam suas posset naturales operationes exercere; alioquin sequeretur non unicum esse ferri speciem, cum accidentia, quibus spiritus ille architectonicus prohiberi posset, etiam sententia illorum, qui contrarium sustinere videntur, plura sint, ac multiplici ratione in subiectam materiam intrudi queant: quare etiam si ex hoc metallo philosophorum

phorum dictus mercurius extraheretur , & ad suam naturalem multiplicationem , & finem iterum duceretur , licet id sit impossibile , nihilominus ex illo nihil aliud produci possibile foret , nisi species ferrea , dummodo ab alia spirituali vi potentiori evicta non fuerit . Non tamen negaverim posse contingere , quin seminalis spiritus possit à suo itinere accidentaliter exorbitare aliquis necessariæ circumstantiæ defectu : sed tunc negabimus productum esse speciem ordinariam , & naturæ consuetam , sed monstruosa , & notham ; quod tamen de ferro dici nequit : monstrata enim rarissima sunt , ac vix duo æqualiter diversis locis , & temporibus experimento deprehenduntur , quod & in vegetantibus , & animalibus pariter observari licet , hinc est , quod & philosophicam præparatam materiam ulterius deducere per naturam , & artem est impossibile sine additione solaris fermenti , cum sine hoc suæ prædestinationis ultimum attigerit . Dicitur autem universalis multipliciter , at præcipue , quia credita sit per additionem alterius metallici seminis ad quam-

cumque metallorum speciem redigi posse,
 cum in ultima suæ plusquam perfectionis
 fixione altera fermentatione opus habeat,
 quam Lullius secundam appellat , sine qua
 nec aurum , nec argentum exhibit : alioquin
 nisi fermenti vas super fermentandum præ-
 valuerit , ad speciem hanc , vel illam metalli
 redigi minimè valeret . Et hoc arcanum
 sicut dignissimum est , ita ab auctoribus
 non ita clarè detectum esse per eorum scri-
 pta apparet.

Præterea metallicum germen seu corpus
 originale ac primum metallorum in subter-
 raneis locis , ubi naturaliter illa generantur,
 duplice nomine universale dicitur ; tum ra-
 tione efficientis intrinseci ; tum ratione ma-
 teriæ corporalis , in qua illud operatur . &
 ratione quidem efficientis , quia metallum
 non generatur naturaliter ex metallo , sicut
 stirpes , & animantia ex suis individuis me-
 diante semine , sed ex spiritu stellarum im-
 mediatè in minerarum cavernas effuso , à
 quo individuum metallicum immediatè
 profluit , & in illo quiescit non ulterius pro-
 grediens , nisi per artem in Philosophica ge-
 nera-

neratione, ita per ignem disponatur, ut vis
 seminalis per eumdem ignem aucta prolifi-
 ca reddatur, quod tamen per solam naturam
 est impossibile. Cum igitur germen illud
 prædictum ex spiritu universali nondum in
 aliquo corpore ligato in generationem sibi
 debitam urgeatur, immediatè universale jure
 dicetur, non tamen quia singula metalla ex
 unico singulari spiritu universali producan-
 tur, sed quodlibet ex suo speciali, sicut quod-
 libet plantarum, & animantiū individuum;
 quamvis nomine tenus dicantur ex mercu-
 rio cuncta progigni; at mercurii in singulis
 metallis essentialiter ac specificè differunt:
 non dissimili ratione ac plantæ, quæ licet o-
 mnes ex ligneo corpore, ut & animalia ex
 carneo conflentur, lignum tamen à ligno,
 sicut caro à carne essentialiter distinguun-
 tur, quod idem fit in metallis, quæ quamuis
 videantur ex mercurio prodiisse, nemo ta-
 men sibi persuadeat ex mercurio vulgi, nec
 ex mercurio quodam universali prodiisse,
 sed singula ex singulari, & proprio suo semi-
 ne, quod mercuriale appetet ex similitudine
 ad sensus, sicut & in lignis prædictis, & car-

nibus, quæ in quibusdam accidentibus conveniunt, sed in natura essentiali intrinseca specificè distant.

Ratione tamen materiæ subiecti dici quoque possunt metalla ex universali corpore conflari, quoniam non ex corporeo semine parentum, sicut in plantis, & animalibus fieri apparet: at immeditatem solum ex alimentis per ignem præparatis ac dispositis, & in vaporosam substantiam in unionem redactis: & hoc ideo, quia in his non sunt instrumenta; quibus seminale corpus in ipsis intrinsecus ad novam prolem edendam conficeretur.

Cum igitur in prædictis, & in aliis pariter ambo illa magisteria maximè convenire videantur, non mirum videri debet, si quis in errorem facile incurrere queat, sicuti de facto prædicto Autori, & aliis etiam contingit, alterum pro altero accipientibus, quod ne in posterum contingat, eorum quoque differentias subnectere oportebit.

De liquoris Alchaeſt, & Mercurii Philosophici discrimine.

D I S C E P T A T I O
XIV. ET ULTIMA.

Similitudines, atque convenientias inter duo prædicta magisteria quamplurimas esse ostendimus, & multò plures etiam addi potuissent, non quidem in ſubiecto, in quo non tantum similitudinem, ſed omnimodam identitatem in eſſe monuimus, ſed in operandi methodo: at ſi qui penitus eadem ſcrutati fuerint, ſuperficialiter, & extrinſecè invicem convenire apparebunt, cum in rei veritate plurimum, & longiſſime diſtent, tum ratione effectum ab ipeſis procedentium.

Quamobrem cunctis arcana hæc inquietibus ſummopere proficuum eſſe duximus, ſi differentias quoque inter utrumque opus patefaceremus. nimis vero tædiosum

foret ac indecens etiam , & singulas differentias singillatim recensere , sed eas dum taxat , quæ utiliores ac principaliores videbuntur.

Differunt ergo primum , quod liquor ille prædictus soluens est merum artis opus . Philosophicus Mercurius , sicut & lapis perfectus solius est naturæ modico artis iuuamine . Deinde quia in hoc subiectum ulterius perficiendo ducitur . In illo è contra destruendo à priori naturæ statu removetur . Liquor ille præterea in fine suæ præparationis volatilis , & ab igne fugiens est . Mercurius vero dictus in suæ plusquam perfectionis complemento finali fixissimus est ; quamvis in penultimo termino regenerationis sit etiam fugitiuus , & facile etiam alterabilis , nisi per libi gratum ferculum iuvetur , quo ad stabilem fixitatem , & permanentiam ducitur .

Illæ sub aquæ forma finaliter conspicendum se præbet . Hic vero sub forma crassa , viscida , & fluida . Quamvis enim hic quoque in suæ operationis cursu semel videatur sub specie aquæ elementalis diaphanae , hoc solum

solum evenit in naturali sublimationis circulatione , cum ad ultimum perfectionis non peruerterit. at aqua illa extra vas ab Artifice tractari nequit sub eadem forma, quoniam aqua est re ipsa non elementalis , sed metallica ex vapore philosophici subiecti existentis inferius orta. hic enim iugiter in sublime scandens ibidem condensatus nunc roris, nunc guttarum maiorum , aut minorum effigiem præ se fert, quæ guttæ subinde auctæ diversos riuulos pariunt ad ima fluentes , rursusque resurgunt longo tempore sic ascendentes, ac descendentes, & hoc vase arctissimè sigillato , cui si quid vel mininum rimulæ contigerit , illicò desinit vaporis ascensio ad fundum , unde processerat , recidentis , quod Amico experienti bis casu quodam accidentaliter successit , cuius causam diù investigans hanc fuisse credidimus.

Cum enim suspicaret opus penitus destratum, vel saltem debilitatum, existimans aliquid per rimulam evanuisse ob sibilum, qui clare percipitur, inveni nihil detrimenti sensisse materiam , quæ novo vase, ut prius

optimè obturato, recondita nō minori po-
 tentia prædita circularem sublimationem,
 ut prius, exercebat: quare intellexi, sibilum
 non ex vaporis metallici exitu provenisse,
 sed aeris, hic enim dum in inferiori parte ex
 fontinæ calore rarescit, & ex vapore ab ipsa
 surgente extruditur, in superiori condensa-
 tur, ut scilicet aeri rarefacto, & in vaporem
 redacto per ignem subiectum, locum cedē-
 do præbeat. Hoc verò sensu deprehenditur,
 non solum in vapore pulcherrimum iridem
 pariente, sed in subiecto limpidissimo, cœli-
 que colore fulgente fonticulo visibiliter
 tumefacto; quare necessario supernus aer
 modicè refrigeratus, & novo succedente
 continuè vapore compressus densatur, &
 crassescit, ut hinc reddatur aptus ad gravem
 vaporem metallicum sustinendum, si nul-
 lus pateat egressus, alioquin exiens aer dum
 ad naturalem statum, a quo violenter de-
 nuò redit, qui reliquus est rarescens ineptus
 est ulterius, ut vaporem gravissimum firmi-
 ter sustinere valeat, ideoque ad radicem
 recurrent evanescit, interim opus nullate-
 nus infirmatum deprehenditur; nam vase
 recenti

recenti occlusa materia iterum eodem modo circulariter se movet, donec tandem in fine quiescat, & planè figatur.

In Alchaeſt vero non ita ſe res habet. Hic enim post ſuum ultimum perfectionis terminum ſub aquæ forma remanet ſemper nullatenus coagulabilis neque per ſe, neque per aliud additamentum: ſicut enim cuncta quæquæ miſta diſſoluit non in elementa; ſed in partes ſubſtantiales ſimpliciores: ita per nullum repatitur ullatenus, ſed ab omnibus omnino ſeparatur.

Ad hæc opus Alchaeſt igne vehementi paratur. At opus physicochemicalum igne non ſolum imbecillo indiget, ſed maximè remiſſo, uſque adeò, ut ſi quid limites exceedat, auctum ſit de felici ſuccedu: nec maius arcanum profoundiſſimè ab Artificibus occultatum in tota praxi reperitur, quam in igne per ſuos gradus, & puncta temperando.

Illud quoque difficile eſt intellectu, arduum, atque in ſuo Magisterio laboriosum.

finum. At hoc obscurissimum , & implicatum ita , ut vix deprehendit queat , sed postquam integrè cognitum fuerit in sui operatione , facillimè peragitur , ut nemo , nisi qui viderit , credat.

Liquor Alchaeſt metalla imperfecta in maiorem imperfectionem deducit , quantum ad naturalem statum , dum ea in diversas substantias dispescit , licet quantum ad medicas virtutes spectat , illa potentiora , ac efficaciora ægritudinibus arcendis reddat.

At philosophicum elixir imperfecta metalla perficit , verèque & realiter transmutat , nec vi medica debiliori pollet , immo longe maiori , ut nulla hactenus inventa medicina fuerit illa tutior atque sublimior . hoc autem non leviter est adnotandum , ne quis sibi falsò persuadeat , sicut & Helmontius in hac re deceptus quoque fuisse videtur , per prædictum artificialem liquorem posse philosophicam medicinam ad metalla verè , & non sophisticè transmutanda ullatenus præparari , quin immò per opus Alchaeſt subiectum physicochemico magisterio necessari-
um per

um per naturam magna solicitudine com-
positum, mirabilique proprietate dotatum
à suis proprietatibus, & virtutibus illis per
naturā inditis longissimè removetur, adeo,
ut amplius ad priorem conditionem redigi
nulla ratione valeat; quamobrem impossibi-
le penitus erit, ut per liquorem illum, aut
illius praxim, opus physicochemicum com-
pleatur: hoc enim in eo potissimum consi-
stit, ut subiectum ita suaviter, ac ingeniosè
tractetur, ut ne minimum quid detrimenti
sentiat. Alteratur quidem perfectivè, sed
ita leviter, ac parcè, ut interior vis spiritua-
lis seminis, atque corporea elementorum
compago nihil omnino labefieri per sua si-
gna clarissima innotescat, quod quidem fa-
cile evenire potest, & quantumcumque mi-
nima læsione labile subiectum tangatur,
statim inquinatur, infirmatur, & necatur, &
operationi prorsus inhabile redditur, quod
satis apertè revelatum est à Bernardo Comi-
te Trevirensi in epist. & à nobis in ortho-
chymicorum tractatu. Ultimum tandem
discrimen est inter utrumque, quod physi-
cum ad morbos quosuis curandos efficacis-

sumum fuerit semper habitum, & deprehensum, præter alias, quas possidet vires summopere admirandas. Sed alterum artificiale per se ipsum nescio ad quid interius assumptum valeat, cum nec Paracelsus, nec Helmontius de illo periculum aliquod sese fecisse recenseat: nec ipse pariter sum experthus, cum arcana, quæ innumera ex ipso parantur, satis esse possint, alioquin liquor usu tali deficeret paulatim. In arcanis vero parandis potentiam, & virtutem semper eamdem conservat, nec imminuitur.

Aliud præterea discrimen addi potuisse, quod nempe physicum opus multiplicativa vi à seminali potentia procedente polleat. Artificiale vero, utpote in quo seminalis potestas periit, nec in se, nec in iis, quæ soluendo tetigerit, multiplicandi virtutem ullam possideat, quod tamen data opera omnissimus, cum dubitari possit, num virtus ea multiplicandi in Mercurio philosophico verè reperiatur, nec ne? cum ei non sit ab auctoribus tributa, sed solum Elixiri perfecto, & ad finale complementum deducto.

cto. de qua re alibi proprio loco disputabitur.

Atque hæc sunt, quæ Artificibus pensanda offerre voluimus, ne deinceps tam turpiter hallucinentur, aut ab aliis vel impostoribus, vel ignaris decipi queant. Et ut etiam in utroque magisterio aliquid aliud ex me didicisse sentiant, quod à Paracelso difficulter, ac difficilius ab Helmontio retraxissent, cum uterque palam professus fuerit, se nihil de his magisteriis revelaturos. Verum de physicochemico magisterio copiosius propriis tractationibus me plurima haec tenus in obscuro delitescentia revelaturum promitto. Si vitam Nobis paulò diuturniorem in columemque concesserit Deus Optimus Maximus, cui soli laus, gloria, & sanctificatio in æternum.

—os(0)go—
v

Noi Reformatori dello Studio di Padoa.

HAvendo osservato per fede del P. Commisario del Sant' Officio non esservi nel Libro intitolato, Clara fidelisque admonitoria Disceptatio Practicæ Manualis experimento; veraciter comprobata de duobus Artis, & Naturæ miraculis, de Ludovico de i Conzida Macerata, cosa contro la Santa Fede, e parimente per attestato del Segretario nostro nientecontro Principi, à buoni costumi, concedemo licenza, che possa essere stampato, dovendo osservarsi gl' ordini, & efferne presentate due copie &c.

Dat. dal Magistrato nostro. li 3. Giugno 1661.

(Gio. Donato Reformat.

(

(Battista Nani Gau. Proc. Reformat.

Alem. Ang. Donini Secr.

CA-

CATALOGVS TRACTATVVM,

Quos Auctor propediem, se
Typis spondet editurum.

I.

Orthophysicorum libri tres, in quibus Nova Rerum Naturalium Disquisitio proponitur Methodo breviori, clariori, diligentiori, ac firmiori, quam ab alio quo cumque, seu ex Veteribus, seu ex Recentioribus, Auctore, hucusque præstitum fuerit, indeque Physica genuinæ puritati, priorique suo splendori restituitur. Opus sanè cunctis veritatis Sectatoribus non minus utile, quam gratum.

II.

MIneralium naturæ operum recens investigatio, qua metallorum potissimum

num principia, causæ, proprietates, generationes, generationumque modi fideliter explanantur. Methodo breviori, clariori, diligentiori, ac firmiori, quam ab alio quo cumque, seu ex Veteribus, seu ex Recentioribus, Auctore hucusque præstitum fuerit. Opus sanè cunctis veritatis sectatoribus non minus utile, quam gratum.

III.

Orthomedicorum libri duo: in quibus Orthophysicorum principiis præsuppositis nova Rerum Medicarum Disquisitio proponitur, Methodo breviori, clariori, diligentiori, ac firmiori, quam ab alio quo cumque, seu ex Veteribus, seu ex Recentioribus, Auctore hucusque præstitum fuerit: indeque Medicina genuinæ puritati, priorique suo nitori restituitur. Opus sanè cunctis veritatis Sectatoribus non minus utile, quam gratum.

IV.

Orthochymicorum libri tres: in quibus Orthophysicorum principiis præsuppositis Rerum Chymicarum Theorica Dis-

Disquisito proponitur, Methodo breviori, clariori, diligentiori, ac firmiori, quam ab alio quocumque seu ex Veteribus, seu ex Recentioribus, Auctore, hucusque præstum fuerit: indeque Chymica genuinæ puritati, priorique suo candori restituitur. Opus sanè cunctis veritatis Sectatoribus non minus utile, quam gratum.

V.

O Edipus Chemista consolatorius, dicta quamplurima, quæ in Sophorum scriptis, Chymicorum præsertim, tum Veterum, tum Neotericorum celebrioris nominis auctorum inveniuntur obscura, difficilia, typica, parabolica, mystica, kabalistica, ægnimatica, alioque modo implicata, illuminans, facilitans, declarans, explanans, enodans, enucleans, reserans, ac explicans: ut hinc multo faciliori negotio Chymici tractatus post hac intelligi possint.

VI.

O Edipi Chemistæ consolatorii fabulas penè omnes, quæ in Ouidii metamorphoseos libris conscribuntur, genuino chymico

mico sensu , ad quem solum insinuandum à suis primis Inventoribus excogitatæ fuerunt, candidè interpretantis pars altera.

VII.

DE Ovo Trismegisto: unde Phænix ille sempiternus Avis physicochemica regeneratione excluditur ; physicaque plus quam perfectione completur, ac cælica propagatione augetur. Sive de universo philosophici lapidis tertriuno opere liber.

VIII.

ALPhidii Philosophi Vetustissimi , ac Praeclarissimi libellus chymica mysteria fidelissimè complectens. Cui titulum fecit Clavis Sapientiæ Maioris. nunc primum Scholiis perutilibus illustratus.



